

Samuel Werenfels Friedrich Merian

Meditatio Theologica, in verba Domini Hoc Est Corpus Meum, &c.

Basileae: Literis Werenfelsianis, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862085225>

Druck Freier  Zugang



53

Fa-1092(53)

MEDITATIO THEOLOGICA,
in verba Domini
HOC EST CORPUS
MEUM, &c.

Quam

DEO ADSPIRANTE

SUB PRÆSIDIO

VIRI VENERANDI ET
EXCELLENTISSIMI

DN. SAMUELIS WERENFELSII,

S. Theol. Doct. Loc. Comm. & Controvers.

Theologicarum Professoris, Fautoris ætatem
devererandi,

Ad diem Aprilis, M DC XCIX.

disquisitioni publicæ submitte

loco horisq; solitis

M. FRIDERICUS MERIANUS,
Basiliensis.



BASILEÆ, Literis WERENFELSIANIS.

MEDITATIO THEOLOGICA

HOC EST CORPUS

M. E. U. M. &c.

DEO ASSIRANTE

WILHELMUS WERNEFELSIUS

DR. SAMUELIS WERNEFELSIUS

S. Theol. Doct. & Cantuariensis

Magistri & Professoris

WILHELMUS WERNEFELSIUS

Magistri & Professoris

M. FRIDERICUS MERIANUS

Basileae



BASILEAE, Lipsiae WERNEFELSIANIS.

V I R O

NOBILISSIMO, PRÆSTANTISSIMO,
SPECTATISSIMO, CLARISSIMO,
ET INTEGERRIMO.

DOM. DOMINO

JOH. MATTHÆO MERIANO

CIVI FRANCOFURTENSI ad M O E.
num Celeberrimo, Dexter-
rimo, &c.

Dn. Domino AGNATO suo charissimo,
MERIANÆI Nominis PATRONO summo,
FAMILIÆ Francof. PRÆSIDI & LUMINARI
pronunc. præcipuo, splendidissimo, omni-
que honoris & reverentiæ cultu æviternum profe-
quendo

*In perpetuum Observantia & nunquam inter-
morituri Amoris ΣΥΜΒΟΛΟΝ*

SPECIMEN HOC THEOLOG. cum omnig. Prosper. voto
D.D.D.

FRIDERICUS MERIAN, Basil.
Respondens.

V I R O

NOBILISSIMO, PRAESTANTISSIMO,
SPECTABILISSIMO, CLARISSIMO,
ET INTEGRISSIMO.

DOM. DOMINO

JOH. MATTHEO MERIANO

CIV. FRANCOFURTENSIS & MOE.
NIUM Celsissimo, Dignissimo,
tissimo, &c.

Dr. Dominio Renato suo clarissimo
MERIANO & Nominis PATRONO
FAMILIAE FRANCOFURTENSIS & LUMINARIA
PROMPTAE PRAESENTIAE, SPLENDIDISSIMO, OMNIBUS
HONORIS & REVERENTIAE COLLEGIUM SVETICUM PRO-

in partem officii & mandati inter
venerunt hanc STATIONEM

Specimen hinc Tunc cum omni respectu

ANNO

FRIDERICUS MERIANUS, B.A.

Reverentissime



Meditatio in verba Domini:

Hoc est corpus meum, &c.

C A P. I.

Demonstratur, longe verisimilius esse, partem nobis adversam errare in verbis Domini interpretandis, quam nos, in eorum interpretatione rejicienda.

§. I.



Nimus est pauca quædam commentari de verbis Domini: *Hoc est corpus meum*, verbis, quorum mihi sententia tam palna videtur, ut concipere nequeam, qua ratione factum sit, ut tantus existerit super eorum interpretatione inter Christianos dissensus. Exstitit tamen duratque etiam nunc, & nisi Christianum

orbem respiciat Deus, nondum malorum ex hoc certamine metuendorum finis est. Non defuerunt quidem, qui verum horum verborum sensum in summa luce posuerunt: sed invenerunt sibi obstantia inveterata præjudicia, pertinax partium studium, adversarios ingenio & eruditione florentes, summam potentiam & auctoritatem, & denique, quod præcipuum forte est, commoda longe majora ex errore, quam ex vero in his terris speranda. Quid mirum, veritatem contra hæc omnia parum potuisse in tanto eorum numero, quibus nihil minus, quam veritas curæ est, qui si in aliis rebus eam inquirunt, in religione tutissimum existimant, ab opinionum

inveteratarum torrente abripi? Nihil majus sibi polliceri possunt, quicumque de hoc argumento scribunt, quam fortasse futurum, ut paucissimis quibusdam veri studiosis scrupulos, quibus ab ejus agnitione avertuntur, eximant, recteque sentientes confirment: ad quod, ut praesens haec meditatio aliquid conferat, Deum toto pectore precor.

§. 2. Principio monendum est, (quod monere supervacaneum esset, si non nisi aequi homines de religione disputarent, veruntamen quando qui de rebus divinis cum aliis concertant, non semper omnium sint aequissimi) monendum est, non agi hic de *veritate* verborum Domini, sed de *sensu* eorum, neque in disceptationem venire, sitne verum, quod Salvator noster dixerit, sed quid sit illud, quod dixit. Anathema sit, qui sensum verborum Domini intelligens vel momento de eorum veritate dubitat. Anathema sit, qui verba illius ideo, quoniam difficilia sibi creditu videntur, in sensum alienum detorquere nititur. Nihil tam incomprehensibile est, quod non parati sumus credere, simulac nobis constiterit, Christum, qui veritas est, id dixisse. Quod si qui sunt, qui aegre ferunt, quod sensum verborum Domini rejicimus, quem ipsi proprium & propterea genuinum esse putant: sciant, unicam hujus rei causam esse, quod firmiter persuasi sumus, sensum eorum non esse sensum Christi.

§. 3. Qui in horum verborum interpretatione a nobis disident, quaerunt in iis *praesentiam* quandam *realem*, ut loquuntur, sive *substantialem* corporis Christi aut *ex pane facti*, aut *cum pane conjuncti*. Nos nihil aliud in iis videmus, quam panem esse symbolum, & sigillum corporis Christi crucifixi in S. Coena vere exhibiti. *Praesentiam* vero illam *substantialem* corporis Christi aut *sub pane* aut *sub specie panis*, conciliare haec non potuimus, neque cum S. Scriptura, neque cum articulis fidei, neque cum judicio sensuum aut sanae rationis, plurimasque nobis in ea videre videmur contradictiones.

§. 4. En praecipuas *contradictiones*, ut hinc ordiamur, quas in praesentia ista *substantiali* observamus: Corpus humanum *nostris*, ut Scriptura ait, *simile*, nullas tamen habens corporis humani, imo ne corporis quidem proprietates: quod

ante

ante oculos posurum sit invisibile: quod ore corporis proprie
manducatum neque tactu, neque olfactu, neque gustu perci-
piatur, neque dentibus conteratur, neque deglutiatur, neque
corpus nutriat, sed loco corporis nutriat animam: quod si-
mul sit in pluribus locis, aut ubique: quod à se ipso distet, à
se ipso recedat, ad se accedat: quod se ipso majus sit & minus:
quod minus sit parte sua atque in ea totum contineatur: cor-
pus humanum, quod se ipsum comederit, aut saltem comede-
re potuerit: corpus, quod in uno loco habeat proprietates con-
trarias illis, quas eodem tempore habet in altero: quod hic
sit visibile & palpabile, at simul illic invisibile & palpari ne-
queat: hic locale, extensum, penetrabile, divisibile: illic illo-
cale, extensionis expertus, penetrabile, indivisibile: quod ex se-
pulchro resurrexerit, illud tamen non reliquerit: quod ex ter-
ra in cœlum ascenderit, in terra tamen manserit: quod in ter-
ram ex cœlo sit rediturum, neque tamen aut ex terra unquam
recesserit, aut cœlum unquam sit relicturum. Corpus (hæc ex
transubstantiatione speciatim sequuntur) quod sine acciden-
tibus lateat sub accidentibus sine substantia: corpus, quod
antequam productum fuit, jam extirrit: quod quorundam ver-
borum pronuntiatione se ipsum produxerit: individuum jam
existens, factum ex alio individuo numero a se diverso: con-
versio non panis in corpus humanum, sed hujus panis in hoc
corpus humanum ante conversionem jam existens, &c.

§. 5. Novi, præsentia hujus mirabilis patronos non desti-
tuiti distinctionibus, quibus contradictiones ipsis objectas conci-
liant. Sed nemo multum illis tribuet, nisi qui verbis, quibus
aut nullæ, aut obscuræ tantum & confusæ notiones subjectæ
sunt, delectatur. Qui perspicaciores sunt, videntes, se hac via
nihil proficere, confugiunt ab una parte ad *potentiam Dei*, qui
possit, quod nos fieri posse non credimus: ab altera parte no-
bis inculcant, ut agnoscamus *artus intellectus nostri limites*, qui
mysterium, quale præsentiam suam substantialem esse vo-
lunt, capere nequeat. Sed hæc nihil ipsis profunt, nisi ad invi-
diam nobis conflandam, quasi de Deo & ejus potentia nimis
abjecte, de intellectus vero nostri capacitate nimis superbe
sentiamus.

S.6. Quod enim sententiam eorum de præsentia corporis Christi inter *ad hunc* referimus, causa unica est, quoniam ea nobis videtur contradictoria. Quare igitur hic ad potentiam Dei provocant? an, ut monstrant, Deum & ea posse, quæ sunt contradictoria? Cur ergo in hac ipsa materia nobiscum rejiciunt hunc sensum verborum Domini: *Panis substantia idque proprie est ipsa substantia corporis Christi?* Dicunt hunc sensum esse rejiciendum ut contradictorium. Frustra, si Deum in S. cœna contradictoria facere posse credunt. Sin autem nihil aliud volunt, quam Deum omnia posse, quæ contradictionem non involvunt: id nihil ad rem facit: nobis enim non minus contradictorium videtur, corpus quod simul sit in pluribus locis, in uno extensum in altero non extensum, &c. quam panis substantia, quæ simul sit substantia corporis humani. Quare de amplitudine potentiae Dei nulla inter nos lis est: sed de hoc solo, num præsentia corporis Christi in S. Cœna, quam statuunt, sit contradictoria. Si non est, fatemur eam esse possibilem: sin est, necesse est, ut ipsi eam impossibilem esse agnoscant.

S.7. At forte propter *angustos mentis limites* judicare non possumus, sintne illa, quæ nobis contradictoria videntur, revera contradictoria. Quod si volunt Adversarii, nisi sibi tribuant mentem nostra capaciorem, adversus se ipsos pugnant. Agnoscunt, contradictorium sensum esse rejiciendum: dicunt, se judicare non posse, sitne sensus suus contradictorius necne. Non igitur affirmandum, suum sensum esse verum, nostrum falsum: sed tantisper assensus erit sustinendus, donec de hoc judicare possint. Deinde si in hac materia de contradictione judicandum non est: cur igitur ipsi de ea judicant; quare rejiciunt tanquam contradictorium hunc verborum sensum; *Panis substantia est substantia corporis Christi?* Tandem si nos propter intellectus nostri imbecillitatem errare possumus in hoc, quod existimamus, substantialem eorum præsentiam esse contradictoriam: non minus adversarii, nisi à communi hominum lege sese eximant, errare possunt in hoc, quod existimant, præsentiam suam substantialem verbis Domini denotari. Num in solo judicio de contradictione duarum aut plurium

plurium enunciationum homines sunt errori obnoxii, in judicio de interpretatione verborum ab errore immunes?

§.8. Distinguent fortasse Adversarii inter *judicium de sensu verborum* & *judicium de mysterio ipso* verbis significato: judicare de sensu verborum, dicent, non esse supra captum hominis, at judicare de mysterio verbis significato: hic vero rationem non amplius esse audiendam, tamen si apertas in eo contradictiones sibi videre videatur. Sed & hoc vanissimum est. Nam 1. Hoc ipsum est, quod quaeritur, an mysterium istud praesentiae substantialis verbis Domini significetur. Si liceret Scripturae sensus contradictorios tribuere; postea vero contradictionem monstranti os obturare, dicendo: Hoc est mysterium, de quo ratio tua judicare nequit: quae non mysteria in S. Scriptura invenire possemus? 2. Ponamus, mysterium ingens in his verbis latere, quale v.g. est *mysterium incarnationis* Christi. Mysteria ista non talia sunt, ut ratio nihil in illis capiat, sed ut non capiat omnia: si enim nihil ratio caperet, credens mysterium prorsus, quid credat, nesciret. In *mysterio incarnationis*, quod ratio non capit, est *modus*, quo Filius Dei naturam humanam in unitatem personae assumpsit: sed in eodem est, quod ratio capit, vid. quid sit *natura assumpta*; unde recte concludit ratio, *Apollinarem*, qui Christo negavit animam humanam, quandoquidem hoc cum veritate naturae humanae pugnat, perperam de mysterio incarnationis sentire. Jam si Christi corpus modo incomprehensibili in S. Coena praesens esset: in hoc mysterio pariter esset aliquid, quod ratio non caperet, vid. *hujus praesentiae modus*; sed esset aliud, quod probe caperet, vid. *natura rei praesentis*: siquidem illa sit verum corpus & corpus humanum: de cujus veritate ratio non minus judicare potest, quam in doctrina incarnationis de veritate humanae naturae. Quando igitur sunt, qui de corpore Christi in S. coena praesente ea dicunt, quae cum veritate corporis humani, aut corporis in genere pugnant: ratio non minus juris habet, ad concludendum, hos errare in mysterio praesentiae Christi in S. coena; atque ad rejiciendam opinionem *Apollinaris* de mysterio Incarnationis.

§.9. Si, qui tamen sunt, qui rationi suae nimium tribuunt

A 3 in

in iudicio de præsentia substantiali corporis Christi in S. cœna, non nos sumus, qui in hanc partem peccamus, ut qui mysterium istud non agnoscimus in Scriptura contineri: sed adversarii, qui maximum hic agnoscunt mysterium, & tamen de eo iudicant, & eo utque iudicant, ut definire velint hujus præsentiae modum, dum alii volunt, præsens esse corpus Christi per *conuersionem*, aut, ut alii id appellant, per *syncretismum* per *conjunctionem substantia Christi cum substantia panis*, alii per *mediationem* per *conversionem unius substantia in aliam*. Quâ quidem in re præpostere mihi agere videntur: postquam enim diu multumque vaticinati sunt de modo hujus præsentiae, quod in mysteriis est difficilimum; si ratio de corporis natura vult iudicare, clamant, eam non esse audiendam: quasi difficultas hoc mysterium capiendi in hoc consisteret, quod nescimus, quid sit corpus.

§. 10. Videmus ex his, intellectum æque facile iudicare posse, sicne corpus, quod in S. cœna sub pane aut ejus specie substantialiter præsens esse dicitur, verum corpus: atque iudicare potest, num verba Domini hanc substantialem præsentiam significant. Unde efficitur, Adversarios æque facile errare posse in interpretatione verborum Domini, ac nos in iudicio, quod ferimus de eorum interpretatione. Ultram vero partem errare verisimilius est? Si verba alium sensum habent, quam volunt Patroni substantialis præsentiae, ipsi errant. Si corpus humanum simul est in pluribus locis, in uno extensum, in altero non extensum, &c. nos erramus. Quæritur igitur, utrum horum sit verisimilius: verba alium habere sensum, quam illi volunt: an, corpus cum proprietatibus contrariis esse simul in pluribus locis, &c. Si prius posteriore longe est verisimilius, (ita ut posterius plerisque hominibus penitus videatur contradictorium, quod de priore hætenus nemo dixit) *manifestissimum est, longe verisimilius esse, illos errare in verbis Domini interpretandis, quam nos in interpretatione eorum rejcienda.*

§. 11. Hoc vero si evidens est, demonstrandum tandem Adversariis esset, se in horum verborum interpretatione, tamen si falli possint, imo eos falli valde sit verisimile, revera tamen

men minime falli: demonstrandum esset, sensum suum tam
mirabilem & ab omni veri specie alienum tot locis tam per-
spicue in S. Scriptura confirmari, ut sine summa pertinacia de
ejus veritate dubitari non possit. At quænam & quor sunt il-
la loca tam perspicua, de quibus dici queat, ea, nisi vim illis
faciamus, nihil aliud significare posse, nisi prodigiosum illud
dogma, quod in verbis institutionis latere dicitur? Quid af-
fertur, quod non alium eumque commodiorem sensum ad-
mittat? In verbis, *hoc est corpus meum*, unicum quæritur a-
plerisque totius causæ præsidium. At tantum & tam incre-
dibile mysterium ut stabiliatur, vix unus hic locus sufficit sta-
met si nihil aliud significare posse videretur. Sed tamen, si caus-
sa tanti momenti ex unico loco est decidenda: possuntne de-
monstrare adversarii, *analogiam fidei* non aliam permittere in-
terpretationem, quam suam? Quisnam igitur est articulus fidei,
cum quo præsentiam suam realem ita credunt esse connexam,
ut, nisi in hoc loco inveniatur, fides periclitetur? num præte-
rea scopus S. cœnæ, scopus inter partes non controversus: num
verba ipsa nullum alium patiuntur sensum? Hæc omnia nisi
ita demonstrare possint Adversarii, ut ea negare absurdus sit,
quam statuere, corpus simul in duobus locis cum proprieta-
ribus contrariis esse, &c. &c. manebit semper longe veri simi-
lius, Patronos præsentia realis errare in unico hoc Scriptu-
ræ loco interpretando, quam nos in præsentia ista atque in-
de emergentibus contradictionibus, ut nobis saltem videntur,
rejiciendis.

C A P. II.

Demonstratur, scopo S. Cœnæ nostram

Verborum Domini interpretationem probe

convenire.

S. I.

NE quis vero existimet, non nisi rationem à nobis stare,
scopum verborum Domini ipsaque verba nobis peni-
tus ad versa esse: age, renunciemus omnibus ratiocinationi-
bus,

bus: fingamus, in sensu Adversariorum nullam esse contradictionis speciem, præsentiam illam substantialem corporis Christi sub pane aut ejus specie, rem esse, cujus quotidiana habeamus exempla: consideremus denique sensum utriusque partis, tanquam æque possibilem & credibilem: ut jam nihil aliud sit τὸ ζῆτέμενον, quam uter sensus *scopo & verbis Christi* melius conveniat.

S. 2. Quis *scopus*, ut de hoc prius loquamur, S. Cœnæ sc., docet nos *Paulus*: *Poculum*, inquit, *benedictionis*, cui *benedicimus* nonne *communio sanguinis Christi est?* *panis*, quem *frangimus*, nonne *communio Corporis Christi est.* 1. Cor. X. 16. Unde dicimus, *scopum* S. Cœnæ esse *communione corporis & sanguinis Christi*: non quod *Sacramentum* hoc ad id solum sit institutum, ut nobis hæc *communio* repræsentetur, sed ut *communicans* in S. Cœna & per S. Cœnam *communione corporis & sanguinis Domini* revera obtineat. *Intelligo communione* non talem, quæ *nihil prodest*, sed *vivificam & salutarem*, qualis nobis cum aliis in locis describitur, tum præcipue Joh. VI. Hic est genuinus Cœnæ Domini *scopus*. A quo Christus non recedit, cum dicit, *scopum* hujus *Sacramenti* esse *commemorationem* sui, quod *Paulus* explicat de *commemoratione mortis Christi*: hic enim *scopus*, uti apparebit, alteri illi subordinatur. Videbimus igitur, uter *sensus*, qui in *verbis Domini* quaeritur, *nostræ* an *adversæ partis* ad hunc *scopum* *tum ultimum, tum subordinatum* plus conferat & directius tendat.

S. 3. De hoc, ut facilius judicari possit, en nostram de S. Cœna doctrinam in compendium redactam. 1. Exhibetur nobis in illa *Objectum* salutaris *communione*, *Christus*, quatenus est *causæ remissionis peccatorum & vitæ*: i. e. quatenus pro nobis *crucifixus & mortuus* est. 2. Ponitur ante oculos *motivum* validissimum, quod nos ad *objectum* exhibitum recipiendum commoveat: hoc est *efficacia Objecti* hujus in nobis *justificandis & vivificandis*. 3. Indicatur *medium*, per quod hoc *objectum* recipiamus eique uniamur, cum *mandato*, ut eo utamur: hoc *medium* est *fides*.

S. 4. Hæc tria, quoniam S. Cœna est *Sacramentum* five *Sacrum signum*, proponuntur nobis per *symbola* in visum, tactum
aud
olfa-

olfactum & gustum cadentia: ut hac ratione exhibitio ob-
jecti salutaris obfignetur & confirmetur, simulque res significa-
tae quodammodo sensibiles reddantur, mentemque validius
feriant. Symbolum *Christi crucifixi & mortui est panis fractus*
& *vinum poculo infusum*. Symbolum *efficaciae crucis & mor-*
tis Christi est virtus panis & vini in nobis alendis & recre-
andis. Symbolum *fidei est manducatio panis & bibitio vini no-*
bis à Domino præcepta.

S. 5. Ne vero dubitemus, hæc symbola exhibita nobis si-
gnificare hæc omnia nomine & auctoritate Christi ipsius, si-
ve Christum ipsum nobis hæc omnia *significare, obfigmare &*
confirmare, quæcunque symbola ista significant, obfignant &
confirmant: ipse Salvator declarat, ad quem usum illa desti-
net: cum panem fractum edendum tradens, *Hoc, ait, est corpus*
meum, &c. similiter cum poculū bibendum porrigens, *Hoc, in-*
quit, est sanguis meus, &c. i. e. Hic panis fractus significat corpus
meum fractum. Hoc vinum poculo infusum significat sangui-
nem meum fufum: aut, ut interpretatio nostra clarius pateat:
Hic panis fractus est symbolum, cujus exhibitione vobis con-
firmo exhibitionem corporis mei crucifixi: Hoc vinum po-
culo infusum est symbolum, cujus exhibitione vo-
bis confirmo exhibitionem sanguinis mei pro vobis fu-
si. Unde liquet, his verbis declarari totam istam cere-
moniam symbolicam, quid *panis & vinum* eorumque *traditio*:
quid utriusque hujus symboli *efficacia*: quid denique manda-
tum *panem edendi & vinum bibendi* significant, & nomine
Christi communicanti confirmant. Ex quibus omnibus cer-
nitur, quomodo S. Cæna sit non modo *figillum*, sed etiam *effi-*
cax medium communionis nostræ salutaris cum Christo: si-
mulque *recordatio Domini & speculatio mortis* ipsius: quia sym-
bola in hoc ritu adhibita nihil aliud nobis ante oculos po-
nunt, nisi Christum mortuum: virtutem mortis Christi in no-
bis justificandis & vivificandis: fidem denique nobis incul-
cant in Christum, quatenus mortuus & crucifixus est.

S. 6. Unde luce clarius est, totam nostram de S. Cæna do-
ctrinam, cujus partem facit interpretatio verborum Domini,
directe ad scopum hujus Sacramenti tendere, nihilque in ea
esse,

esse, quod ad eum non faciat, imo quod non sit ad eum neces-
sarium. Videndum nunc esset, an *praesentia* illa *substantialis*
corporis Christi *sub pane* aut *eius specie*, quam in his verbis ad-
versarii quaerunt, aliquid amplius ad hunc scopum conferat,
an potius ab eo communicantes abducatur. Sed antequam de
hoc loquar, sententiam nostram de S. Cœna paulo plenius
explicabo: quæ res cum non tantum ad nostram controver-
siam decidendam, sed ad rectum S. Cœnæ usum sit utilissima;
rogo, ut lector ista legat animo attento & à præiudiciiis vacuo.

§. 7. *Objectum*, quod in S. cœna nobis exhibetur, est *Christus*
mortuus & crucifixus, & quidem *quatenus est mortuus &*
crucifixus. Illud in Scholis vocarent *objectum materiale*, hoc
formale. Christus itaque in S. cœna nobis exhibetur non tan-
quam vivus & gloriosus, sed tanquam patiens & moriens;
exhibetur non in statu exaltationis, sed in statu exinanitionis,
& quidem in infimo exinanitionis gradu: in quo *obe-*
diens factus est usque ad mortem mortem autem crucis, Phil. II.
Unde proponitur nobis in S. cœna non tam *Christus*, quam
corpus Christi, quo S. Scriptura communiter corpus mortuum
& exanime denotat: proponitur nobis *sanguis Christi*, quod
communiter notat sanguinem in passione pro nobis fufum:
proponuntur numero *duo*, *corpus & sanguis*, tanquam res à se
invicem *separate*: in quo manifesta est recordatio mortis &
passionis Domini. Hanc vero esse illam *commemorationem*,
quam Christus à communicante in hoc Sacramento exigit,
diserte docet *Paulus*, cum verba Christi ita explanat: *Qui-*
tescunque ederit hunc panem, & biberit hoc poculum, MORTEM
DOMINI annunciate. Hoc est illud *objectum*, quod tum in
participatione S. cœnæ, tum in Interpretatione huius Sacra-
menti semper ob oculos habere debemus, *MORS DOMINI*.

§. 8. Exhibetur autem in S. cœna ipsa *Mors Domini*, ex-
hibetur Christus in statu passionis & mortis, non corpori ap-
prehendendus. In hoc enim statu non fuit, cum Christus eam
instituit, & hodie amplius non est: ac propterea à corpore,
quod non nisi praesentia recipit, Christus in hoc statu apprehendi non potest. Sed in hoc statu exhibetur soli *animæ* com-
municantis, ut eum sic *fide* apprehendat, quæ non solum præ-
sen-

sentia, sed futura etiam & præterita amplectitur. Hanc autem exhibitionem si quis *non veram* exhibitionem appellat; parum considerate loquitur. Væ nobis! si hæc exhibitio vera non esset; Christus ut crucifixus, Christus ut redemptor, ipsum illud redemptionis precium, passio Christi, mors Christi, aliter nobis exhiberi non potest. Hæc una est exhibitio, per quam Christus crucifixus vere noster fit.

S. 9. At non satis est Salvatori nostro, corpus suum crucifixum, sanguinem solum *vere* exhibere; vult id facere adhibitis visibilibus symbolis & sigillis, quæ nobis hujus exhibitionis *veritatem* suo nomine significent, obsignent & confirment. Symbolum *corporis* Christi, & quidem *solius corporis* non sanguinis, est panis. Symbolum *sanguinis* & quidem *solius sanguinis* non corporis, est vinum. Duo hæc symbola à se invicem *separata* significant *separationem corporis & sanguinis Christi*, i. e. MORTEM DOMINI, Sed & panis *fractio* & vini *fusio*, crucifixionem Christi & sanguinis ejus fusionem significant. In *fractio- ne* panis *mortem Domini* quilibet videret, nisi Christus vivus, mirabiliter, ut quidam putant, sub pane ejusve specie præfens, oculos eorum à Christo mortuo averteret, eosque impediret, quo minus mortem ejus in hac cerimonia animadvertant: ut vel ex hoc videamus, quantum *presentia realis* ita dicta ad verum S. cœnæ scopum conferat. Sed mirum est, quod inusitatus iste loquendi modus, quo corporis Christi crucifixio *fractio* appellatur, ipsis non in mentem revocet, esse hic manifestam allusionem ad fractionem panis ipso illo momento factam. Quis credat, Christum panem fregisse videntibus discipulis, ad hanc vero fractionem non alludere, cum eo ipso momento panem sic fractum tradens: *Hoc, inquit, est corpus meum, quod pro vobis frangitur*; cum alias inusitatum sit, corpus crucifixum & mortuum corpus *fractum* appellare? Ex hoc vero, quod fractio panis symbolica est, perspicuum fit, *effusionem* quoque vini in poculum symbolicam esse, & effusionem sanguinis Christi denotare: quanquam enim ejus disserta in institutione Cœnæ mentio non fiat, facile quivis ex eo, quod vinum in poculo fuit, colligit, vinum poculo fuisse infusum.

§. 10. Habemus symbola Christum patientem & morientem aptissime representantia: sed propter solam hanc analogiam non sunt id, quod sunt, non sunt signa talia & sigilla, quorum exhibitione declaretur & confirmetur, Christum ipsum corpus suum crucifixum & sanguinem suum fufum animæ recipienda dare. Hoc habent ex sola institutione Christi ipsius. Christus ergo ipse declarat, ad hoc significandum & confirmandum se ea instituere, cum panem fractum discipulis edendum porrigens, *Hoc, ait, est corpus meum, &c.* similiter cum vinum poculo infusum discipulis bibendum offerens, *Hoc poculum, inquit, est sanguis meus.* Quibus verbis cum Christus exponat, ad quid significandum panem & vinum in S. cœna destinet & instituat; hæc secundum stilum in explicatione omnis generis symbolorum usitatum, denotant: *Hic panis fractus significat corpus meum fractum: Hoc vinum in poculum effusum significat sanguinem meum fufum.*

§. 11. Ut autem clarius intelligatur natura signorum à Christo hic institutorum, distinguenda sunt signa. Sunt signa, quæ quidem rem significant, sed quorum traditio non significat traditionem rei, v. g. si quis mihi tradit delineationem urbis alicujus, hoc ipso non significat, se urbem quoque ipsam tradere. Sunt deinde signa, quorum traditione significatur traditio ipsius rei signatæ: ut cum principi urbem obsidenti claves ejus à proceribus traduntur: aut cum ab iis, qui jus habent eligendi regem, alicui ex proceribus solemniter traditur sceptrum & corona. Panis & vinum in S. cœna sunt symbola posterioris generis. S. Cœna est ritus sollemnis, quo Christus per ministros suos animæ exhibet corpus pro nobis crucifixum & sanguinem suum pro nobis fufum, ut ea vera fide recipiat. Hanc vero exhibitionem confirmat exhibitione symbolorum panis & vini; quibus symbolis tantum abest, ut rei traditio minus vera & improprie dicta reddatur, ut iis potius obfigentur atque corroborentur: ut ex allatis exemplis cuilibet patebit. Verba itaque institutionis, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus,* etsi sola per se spectata nihil aliud denotent, quam panem corpus, & vinum sanguinem Christi significare: si illa considerantur ut verba sollemnia, in ritu ab ipso Christo instituto

pro-

pronunciata, idq; unâ cum traditione panis & vini, tanquam symbolorum corporis & sanguinis Christi; sensum habent amplio- rem & uberiorem: ut hoc Christus dixisse videatur: Hujus panis fracti & hujus vini fusi traditione significo vobis & confirmo, me hoc ipso tempore exhibere animabus vestris corpus meum crucifixum & sanguinem fustum, ut hæc vera fide recipiatis, quemadmodum panem & vinum manu & ore vos recipere jubeo. Atque hac ratione verba Christi eam habent significationem, quam haberent verba procerum civitatis alicujus, qui Regem urbem obsidentem, sese dedentes atque in hunc finem claves urbis porrigentes, ita alloquerentur: *Accipe Rex, hoc est dominium in civitatem nostram, quod tibi à civibus traditur*: aut si Principi à Proceribus regni alicujus solenni ritu porrigeretur sceptrum & corona his verbis: *Accipe, hoc est regnum, quod tibi ab ordinibus confertur.*

§. 12. Sed paulo accuratius nobis sunt consideranda verba Christi, quibus declarat, quid tradendo hæc symbola velit significare. Panem porrigens non ait: hoc sum ego, sed *hoc est corpus meum*, i. e. non nisi corpus, corpus sine anima & sanguine. Vinum porrigens pariter non dicit: hoc sum ego, sed *hoc est sanguis meus*, non nisi sanguis, sanguis sine corpore: quibus verbis innuit Christus, se panis & vini exhibitione non exhibitione corporis sui vivi, sed corporis à sanguine separati & mortui significare. Hoc amplius declarat, cum addit: *Hoc est corpus meum pro vobis fractum, pro vobis datum*: hoc poculū est sanguis meus pro vobis fusus. Repetitus in Græco articulus non caret emphasi, τὸ σῶμα τὸ κλάμενον, τὸ σῶμα τὸ δισθόμενον, τὸ αἷμα τὸ ἐκχυνόμενον: quasi diceret, corpus meum *Es quidem corpus pro vobis fractum, &c.* Quo pariter innuit, corpus Christi non in alio statu nobis in S. cœna exhiberi, nisi in statu passionis & mortis: tum enim corpus fractum, tum sanguis effusus fuit. Sanguinem, quem bibendum tradit Christus, vocat τὸ αἷμα τὸ τῆς κατῆς διαθήκης: *Sanguinem, Es quidem sanguinem Novi testamenti, aut novi fœderis*, utrolibet enim modo reddas, status mortis Christi significatur. Nam & *testamentum*, ut ait Apostolus, *morte testatoris ratum fit*, & fœdera nece animalium solebant confirmari.

B 3 Heb.

Heb. IX. 17. Gen. XV. 9. 10. Jer. XXXIV. 18. Additur denique, sanguinem illum, qui nobis hic datur, esse sanguinem, qui pro nobis fundatur in remissionem peccatorum: jam non sanguis Christi in venis, sed in passione & morte fusus, purgat nos ab omnibus peccatis. Et nescio, annon ideo hic Christus participia presentis temporis adhibeat: τὸ σῶμα τὸ κλώμενον, τὸ διδόμενον, τὸ αἷμα τὸ ἐκχυνόμενον: quod frangitur, quod datur, quod effunditur: ut denotetur, hæc tanquam in ipso fractionis & fusionis actu exhiberi animæ fideli, cui & futura & præterita præsentia sunt. Hanc observationem confirmat ipse Bellarminus: *Evangelista & Paulus scripserunt in presenti, datur, effunditur, & non oportet negare proprium & simplicem literæ sensum sine urgentissima ratione.* De missa lib. I. c. 12.

S. 13. Verum non modo nobis in S. coena objectum salutare & quidem, quatenus salutare est, exhibetur: sed in eodem cernitur quoque incentivum validissimum, quod nos ad objectum exhibitum amplectendum impellat. Incentivum hoc est efficacia Corporis Christi mortui & sanguinis effusi, atque adeo mortis ipsius: quæ in eo consistit, quod Christus nobis morte & passione vitam & remissionem peccatorum acquisivit. In Christo, ait Apostolus, habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, Coloss. I. 14. Hoc, quod summum Christianorum bonum est, repræsentatur efficacia panis & vini. Cui enim dubium esse potest, Dominum hæc præ aliis elegisse, ad corpus suum & sanguinem significandum, ut efficacia unius efficaciam alterius repræsentaret; præsertim qui cum hoc loco confert IV. & VI. cap. Evangelii Johannis: ubi Christus seipsum ut mortuum, & ex morte sua fluentia beneficia, tanquam cibum potumque ad vitam æternam necessarium, tantopere commendat?

S. 14. Analogia vero inter rem significatam & signa est ista: Quod panis fractus, & vinum effusum confert ad vitam corporalem, id confert corpus Christi crucifixum & sanguis fusus uno nomine mors Domini ad remissionem peccatorum & vitam æternam. Sed his aut aliis verbis analogia ista non tam efficaciter exprimitur, quam pane & vino Eucharistiæ. Hæc enim symbola; multis simul sensibus subjecta, efficiunt,

ut

mortis & passionis Christi efficaciam videamus, palpemus, odoremur, gustemus. Singuli enim hi sensus aliquid in pane & vino percipiunt, quod menti ansam det, de virtute mortis Christi cogitandi. Quando igitur Salvator noster panem tradendo, *Hoc, ait, est corpus meum*; simul dicit, *Hujus virtus est virtus corporis mei*; i. e. virtutem corporis mei repræsentat. Quocirca cum panem hunc aspicitis, cum ex manducatione ejus corpora vestra ali confirmarique sentitis: cogitate de efficaciam carnis meæ, quam pro mundi vita trado, carnis, quæ *verè est cibus*, ad vitam æternam non minus salubris, quam hic est, quem editis, pavis ad vitam corporis. Similiter cum Dominus de vino dicit: *Hoc est sanguis meus*: simul dicit, *Hujus vini efficaciam est efficaciam sanguinis mei*; i. e. ejus efficaciam repræsentat. Quare, cum hoc vinum bibitis, cum percipitis, sitim vestram eo restingui, cum odore & sapore ejus recreamini, cum virtute ejus corroboramini; cogitate de sanguine meo in cruce pro vobis fuso, cogitate in illo vos invenire *requiem omnem & refocillationem animarum vestrarum*, per illum restingui *sitim iustitia & remissionis peccatorum*. Hoc modo intellecta verba Domini longe efficacius nos movent, ut vera respicientia & fide Christo crucifixo jungamur, qui S. cœnæ scopus est, quam si nescio quæ *deusparata* in iis quærimus. *omnibus singq. mine il*
s. 15. Sed cum corpus Christi, ut noster cibus, sanguis ejus ut noster potus in S. cœna repræsentantur: non aliter considerantur, quam quatenus illud mortuum, hic fusus est. Elegantissimè Hesy chius in Levit. lib. II. c. 2. *Carnem suam cibum fecit proprium per passionem suam, qui antea edi non poterat. Nisi enim crucifixus fuisset, non manducarem sacrificium corporis ejus. Craticula crucis Domini aptum ad esum reddidit impositum corpus: nisi enim affixum cruci fuisset, non potuissemus de eo manducare. Et hæc quoque est causa, quare Christus dicat, corpus suum pro nobis fractum esse; quid enim proprie pro aliquo frangi dicitur, nisi panis? notatur igitur, crucifixionem Christi fractionem esse hujus panis spiritualis, per quam ad edendam aptius reddatur; crucifixionem in hoc panis vitæ idem esse, quod fractio in pane corporali. Unde colligitur, effusionem quoque sanguinis Christi in hoc potu spirituali idem esse, quod effusio potus*

corpo-

corporalis in calicem. Cum enim corpus & sanguis Domini in hoc epulo salutari ut cibus & potus considerentur: non sine allusione ad cibum & potum sit, quod illud frangi, hic effundi dicitur. Ex quibus rursus, ut ex aliis multis, discimus, in quonam statu corpus & sanguis Christi tanquam cibus & potus in S. cœna nobis proponantur.

§. 16. Restat, ut quædam dicamus de *medio*, in S. cœna nobis proposito, quo ad communionem salutarem corporis & sanguinis Christi perveniamus. *Medium* hoc est *fides*, quod per *manducationem* & *bibitionem* nobis repræsentatur. Quoniam vero, qui non satis nostram sententiam percipiunt, nos, cum hoc dicimus, uni eidemque verbo in eodem loco duplicem credunt affingere sensum, proprium cum ad panem, metaphoricum cum ad corpus Christi refertur: ut vitiligationes istæ præscindantur, declarandum est, quomodo sub *mandato edendi* (idem perpetuo intellectum volo de mandato bibendi) *mandatum credendi* contineatur. Cum Dominus dicit, *edite*, hoc verbo nihil aliud, intelligit, nisi manducationem proprie dictam & oralem panis: *res vero ipsa* hac voce significata, ipsa *manducatio* panis proprie dicta est symbolum manducationis spiritualis, quæ improprie ita dicitur, *Job. VI.* Quod si enim panis traditio significat traditionem corporis Christi: manducatio panis pariter est symbolum receptionis corporis ita exhibiti, quæ fit ab anima credente. Neque propterea magis dici potest, verbum manducationis habere duas significationes, quam vocem panis, cum panis dicitur symbolum corporis Christi. Continetur igitur *mandatum credendi* sub *mandato edendi*, non quia *verbum edere* hic significat *credere*, sed quia *res ipsa* *edere* in hoc Sacramento est symbolum *credere*. Eadem ratione, qua *mandatum sese dedendi* contineretur sub *mandato afferendi* claves, si Imperator urbem obsidens juberet sibi claves ejus afferri. Hucque adeo redit *mandatum Christi*: *Edite hunc panem, bibite hoc vinum, sicque testamini, vos vera fide recipere corpus & sanguinem meum, (quæ animabus vestris exhibeo, & me exhibere his symbolis confirmo) recipere, ut rem summe desiderabilem, ut cibum & potum ad vitam æternam necessarium.*

§.17. Quod autem *fides* in hoc Sacramento per *manducationem* & *bibitionem* repræsentatur, in hoc quoque est commemoratio *mortis Domini*: manducatur enim non caro viva, sed caro mortua & bibitur non sanguis in venis, sed sanguis effusus: unde tyranni *sanguinem* hominum *stire* dicuntur, non quia sanguinem in venis relinquunt, sed quia fundunt. Quo sensu *mater illa scortationum ebria* dicitur *sanguine sanctorum & martyrum*. Apoc. XVII.6. Hoc quoque ipsum, quod *fides* duobus actibus, actu edendi & bibendi, repræsentatur, arguit, fidem esse in potum à cibo & cibum à potu separatum, in corpus & sanguinem Christi, quatenus à se invicem separata sunt. *Edere* igitur & *bibere* hic non est simpliciter credere, sed credere in Christum, quatenus crucifixus est. Et hac ratione id quoque intellexit *Augustinus de Doctrina Christiana* lib. III, cap. 16. ubi explicans verba Christi, Joh. VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*: locutio, inquit, *hæc facinus vel flagitium videtur jubere*. Figura est ergo, *præcipiens passioni Domini esse communicandum & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

§.18. Quod si quis nobis objicit, hanc manducationem spiritualement non esse *veram & proprie dictam*, ambigè loquitur: aut enim hoc vult, per eam Christum non *vere & proprie recipi*: aut hoc tantum, *receptionem istam improprie vocari manducationem*. Prius nemo, ut spero, Christianus dicit: perinde enim esset, ac si quis negaret, nos fide proprie & vere Christum recipere; aut si quis negaret, eum, qui fide Christum recipit, posse vere & proprie dicere, Christus est meus: quod esset fidem Christianam penitus evertere. Si, qui id nobis objicit, nihil aliud vult, quam *receptionem illam Christi, quæ fit fide, esse quidem receptionem veram & proprie dictam, improprie autem appellari manducationem*: non magnum nobis narrat incommodum; ut enim salutarem cum Christo communionem habeamus, non magis requiritur, ut actus animæ, quo illum recipimus, proprie appelletur manducatio; quam ad hoc, ut Christus sit causa vitæ, requiritur, ut proprie vocetur panis.

C

§.19.

§.19. Hæc est eorum de S.cœna sententia, qui, si multos audimus, verba Domini contra ejus intentionem in *alium sensum detorquent*, qui *omnem* huic Sacramento *adimunt efficaciam*, nil in ea, nisi *inania signa*, relinquunt, Spero non ita locuturum, qui animo attento, quæ dixi, perpenderit. Videbit enim, nos in interpretanda institutione hujus Sacramenti semper ob oculos habere verum ejus scopum, semper cogitare de salutaris corporis & sanguinis Christi *communione*: at simul cogitare de *Morte Domini*, nihil quærere, nisi, quod hanc nobis in memoriam revocet. Dicimus, exhiberi nobis in hoc Sacramento Christum, & quidem ut crucifixum; hoc est *objectum* salutaris *communions*, & in eo est commemoratio *mortis Domini*. Dicimus, nobis repræsentari *efficaciam* Sacrificii Christi in cruce peracti: hoc est *validissimum incentivum* ad communionem istam non impellens, simulque in eo est recordatio *mortis Domini*. Dicimus denique, nobis per symbola manducationis & bibitionis inculcari fidem in Christum & quidem, quatenus crucifixus est: hoc est unicum *medium*, per quod communionem salutarem cum Christo habemus: sed & in hoc, non minus quam in reliquis, est recordatio *mortis Domini*.

§.20. Monstrandum itaque adversariis est, aut nos aberrare à vero S.cœnæ scopo: aut nostram doctrinam ad hunc scopum non tendere: aut denique suam doctrinam tendere directius, & plus ad eum conferre. Primum si dicunt, contradicunt aperte Scripturæ S. Secundum falsum esse, patet ex modo dictis. De tertio, an gloriari possint, sequenti capite videbimus.

C A P. III.

Ostenditur, sensum, quem pars adversa in verbis Domini querit, scopo S. Cœnæ non convenire.

§.I.

IN quolibet religionis mysterio à Deo nobis revelato duo manifeste observamus, *utile* nobis ad salutem esse, ut *id* mysterium

sterium sit, deinde utile esse, ut illud cognoscamus. v. g. Mysterium incarnationis ut sit, utilissimum esse videmus, sed non minus utile, ut illud esse cognoscamus. Sine illo redemptio nulla esset: sine hoc redemptio nobis solatio non esset, & in ea fiduciam & spem ponere non possemus. Idem de aliis mysteriis dici potest; ita enim cum doctrina salutis connexa sunt, ut sine illis salus neque esse, neque à nobis sperari possit. Solum *mysterium præsentiæ realis*, uti id vocant, quibuscum disputamus, tale est, ut cum aliis certis fidei articulis nullam connexionem habeat: quod si neges, doctrinæ salutis nihil decedit; si affirmes, nihil accedit. Sine hac præsentiæ Deus peccatori potest reconciliari, ei Redemptorem mittere, eum ad Redemptorem vocare, eum justificare, sanctificare, glorificare, non minus, ac si hoc mysterium non esset. Sine hac præsentiæ potest peccator ad Deum se convertere, Christo per fidem inseri, habere charitatem, spem, & quicquid ab eo requiritur, ut Deum glorificet, & salutem suam operetur. Imo non videmus, quomodo aut hoc mysterium, aut ejus cognitio ad ullum horum quicquam conferat: prorsus, ut concipi nequeat, quare tandem & cui bono Salvator noster modo tam incredibili atque omnibus hominibus incomprehensibili voluerit esse in S. cœna præsens; & hanc præsentiæ nobis revelare.

Quod si vero non perspicimus, quamnam tantum mysterium habeat cum doctrina salutis connexionem: non magis cerni potest, quid conferat *ad scopum* S. cœnæ à Domino institutæ. Omnia in ea tendunt ad *salutarem cum Christo communionem*. *Objectum* hujus communionis est Christus: sed non quælibet cum Christo communio salutaris est. Nihil hic prodest dicere: Christus particeps est ejusdem naturæ, cujus ego sum; est meus popularis, tribulis, civis; est meus comes, convictor, magister; est meus consanguineus, frater, filius: & si quæ alia sunt inter homines communionis genera. Una sola communio salutaris est, si quis dicere potest; *Christus est meus redemptor*, Christus mortuus est mea vita: aut si quis verbis Apostoli uti potest, *Una cum Christo crucifixus sum. Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus: & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam filii Dei, qui dilexit me & tradi-*

dit semetipsum pro me. Gal. II. 20. Unde videmus, Objectum salutaris illius communionis, cuius sacra coena medium esse debet, non esse Christum simpliciter, sed Christum, quatenus est causa salutis, i. e. remissionis peccatorum & vitae aeternae; Christum, quatenus est Redemptor, imo pretium redemptionis solvens pro peccatore, & pro illo patiens & moriens.

§. 2. At in hoc statu Coena Adversariorum Christum non exhibet: cum enim corpori ipsum exhibeat, non exhibere eum potest, qualis fuit, cum redemptionis precium pro nobis solvit, sed qualis nunc est. Datur igitur hic Christus non in statu exinanitionis ejusque infimo gradu, sed in summo gradu exaltationis; non patiens & moriens, sed beatus & vivens: non in forma servi, sed in forma Domini, nisi dicere malimus, in nulla: non ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι ἐμμέλεις ὡς ἀνθρώπων, sed in eo schemate, in quo nihil homini simile agnoscas: non denique in eo statu, in quo fuit contemptissimus hominum, imo vermis & non homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; sed ut καὶ θαυματουργός, faciens omnium mirabilium, quae unquam fecit, mirabilissimum; atque in eo statu, in quo habet nomen super omne nomen, ut ad nomen ejus omne se genu flectat.

§. 3. Hinc est, quod sub pane & vino aut eorum speciebus longe aliud latere dicatur, quam, quod in S. coena exhiberi debet. Debebat cum pane nobis dari corpus Christi, nil nisi corpus, non una cum corpore sanguis: cum poculo sanguis Christi, nil nisi sanguis, non simul ipsum corpus. Hic vero omnia confunduntur: cum pane datur corpus & sanguis simul: cum vino sanguis & corpus simul; nulla hic est distinctio inter cibum & potum: qui edit edendo bibit, qui bibit bibendo edit. Quod enim esse potest discrimen, cum Christus detur corpori, quod non aliter haec apprehendere potest, nisi ut sunt, id est, conjuncta? Cum igitur Christus panem tradens dixit: Hoc est corpus meum, potuisset dicere: accipite, hic sum ego totus: edite & bibite simul, hoc enim est corpus pariter & sanguis, aut, bibite, hoc est sanguis. Similiter, cum dedit poculum, dicere poterat: edite & bibite, hoc est sanguis meus cum corpore: aut, edite, hoc est corpus. In S. coena corpus & sanguis separata debent exhiberi, quod

quod nisi sit, cœna non est cœnâ. Quid, quod hic nobis non datur τὸ σῶμα τὸ κλάμενον, in quo solo statu cibus ad esum aptus est, τὸ αἷμα τὸ ἐπιχυνόμενον, in quo solo statu bibi potest? Non datur sanguis, ut est *sanguis Novi testamenti*, causa redemptionis, remissionis peccatorum & vitæ: denique non in eo statu, in quo nos vivificat, sed in quo vivificat ipsum corpus Christi.

§. 4. Lætatur quidem, quod Christus vivit in gloria. In hac conferre potest, quod nobis humilis acquisivit: sed hoc nihil nobis prodesset, nisi prius passus esset & mortuus. In hoc statu opus Redemptionis nostræ plenissime perfecit, factus víctima & propitiatio pro peccatis nostris. In hoc statu clamavit, *consummatum est*. In hoc statu est objectum maxime proprium fidei nostræ salvificæ, incentivum validissimum charitatis, fundamentum omnis nostræ spei & consolationis. *Cruce Christi* est centrum Christianismi, ad quod omnes ejus lineæ tendunt. Huc respicit Evangelium, quod proinde *verbum crucis* appellatur: huc respiciunt addita Evangelio Sacramenta, & præcipuè S. cœna, quod nihil aliud est, nisi symbolica *annunciatio mortis Domini*. Quid vero ad hoc confert novum istud & mirabile *objectum*, quod sibi quidam in S. cœna videre videntur; Christus vivus & gloriosus, invisibiliter præsens sub pane & vino aut ejus speciebus? Age! exhibeatur ab una parte peccatori afflicto. *Objectum* istud θαυμάσιον, Christus modo tam incomprehensibili, ut volunt Adversarij, in S. cœna præsens; totus in pane & qualibet ejus mica, totus in vino & qualibet ejus gutta: aut, ut alii malunt, transubstantietur ex pane & vino, ita ut nihil panis & vini maneat, nisi externæ ejus species, sub quibus Christi invisibilis substantia lateat: offeratur Christus tam mirabiliter ex pane factus aut cum pane & vino conjunctus, offeratur corporiprehendendus, totus quantus est in os ingerendus, manducandus, & bibendus. Exhibeatur ab altera parte eidem peccatori onerato & fatigato Jesus in *cruce* pendens, *maledictio* pro peccatore factus, desertus à Deo, animans agens, expirans: exhibeatur *corpus exanime*, sanguis, qui ex venis *fluxit*: exhibeantur hæc animæ afflicte, vera fide apprehendenda; offerantur à Mini-

stro Christi, nomine Christi ipsius: addantur symbola & figilla ab ipso Domino instituta, quibus animæ hujus exhibitio- nis veritas confirmetur; symbola, quæ simul repræsentent admirabilem efficaciam passionis & mortis Christi in peccatore justificando & vivificando. Utrum horum lætius erit spectaculum, & jucundius convivium animæ peccatoris, sentientis iram Dei, anhelantis gratiam, sitientis & esurientis justitiam? Ad utrum accurret? Respondebunt pro nobis ij omnes, qui in hoc statu sunt aut fuerunt.

S. 5. Utinam hoc serio considerarent, qui à nobis in interpretandis verbis Domini dissident! non amplius antepone- rent *objectum mirabile objecto salutari*. Desinerent in S. cœna nil nisi *regata* & prodigia quærere, quæ ipsos & alios in stu- porem dent: quasi in eum finem esset instituta, ut invenire- mus in ea, quod admiraremur; non quod edat & bibat ani- ma, i. e. quo confirmetur, recreetur & refocilletur: desinerent nos accusare, quasi Christum ipsum ex hoc epulo auferentes, nil nisi umbram ejus relinqueremus: agnoscerent potius, no- stram demum cœnam esse, in quo & panis vitæ & verus po- tus animæ apponantur in eo statu, in quo solo sunt cibus & potus salutaris: se vero ex cœna epulum facere, in quo plus sit magnificentiæ, quam utilitatis; ubi animæ dapes ostententur, stuporem illi & admirationem incutientes: sed in quo non reperit illud, quod *esurivit & sitiit*, quo *famem & sitim ju- stitia* sedare possit, i. e. *Jesusum suum* ἢ τῶτον ἐς αὐρωμένον.

S. 6. At si interpretatio Adversariorum nihil confert ad *Objectum* verum S. cœnæ exhibendum, idque eo modo, qui huic Sacramento convenit: consequens est; nullum quoque in ea *motivum* esse, quo anima efficaciter impellatur, ut vera fide se huic objecto jungat, & ita in ejus communione vitam & remissionem peccatorum obtineat. Corpus Christi, ajunt, & ejus sanguis, imò Christus totus, vivus & gloriosus, sub pane & vino, aut eorum speciebus, realiter & substantialiter continetur. Hoc me rapit in admirationem: sed quis in hoc sti- mulus est, qui animam meam impellat, ut ad Christum cru- cifixum vera fide confugiat, ceu unicam salutis aram, hanc amplectatur, atque ita artissime illi jungatur & uniaturo?

Quanto

Quanto plus ad hoc confert : si dicitur, Christum crucifixum, corpus ejus ex angue, & sanguinem fufum repræsentari hic nobis per panem & vinum, hocque significari, ad remissionem peccatorum & vitam æternam hæc esse tam efficacia, tam utilia, tam necessaria, ac panis est ad corpus alendum, vinum ad sitim restinguendam, nosque confirmandos & recreandos. Quis non hoc moveatur, cui salus curæ est, ad Christum tanquam salutarem cibum & potum unice appetendum, hunc spiritualiter manducandum, atque in succum, quod ajuunt, & sanguinem convertendum; ut ita fiat *caro ex carne, & os ex ossibus ejus*, qua ratione arctissima illa unio inter Christum & fidelem in S. literis describitur? Non est igitur, quod pars ad-versa contemnat & exhibet nostra signa, nudasque nostras, ut loquuntur, corporis Christi repræsentationes: tamen enim præter has nihil in S. cœna haberemus, quod falsum esse, ex supra dictis apparet: ipsa hæc signa, ipsæ hæc figuræ plus efficaciam habent, ad fidem veram in nobis excitandam, sicq; cum Christo, quatenus est causa vitæ, nos salutariter conjungendos: quam ipsorum substantia sub pane aut ejus specie latens.

S. 7. Sed quodnam tandem *medium* salutaris communionis cum Christo nobis suppeditat sensus Adversariorum, quem in Verbis Domini quærent? *Oralem manducationem corporis Christi?* Miram vero manducationem! quæ nihil habet manducationi simile: manducat os, quod non tangit, quod non gustat, quod neq; dentibus conteritur, neque deglutitur, quod denique corpus non nutrit. Et hæc tamen est, si eos audimus, *manducatio proprie dicta*, quam quomodo à *bibitione* iridem *proprie dicta* sanguinis discernant, non video. Manducat corpus, quare? Ut nutriatur *anima*. Manducat corpus *proprie*, ore ordinario manducationis instrumento, cui bono? ut nutriatur anima *metaphoricè*. Sed ut os manducare possit corpus Christi, quid requiritur? Ut corpus istud deponat omnes proprietates corporis, & fiat *spiritus* simile. Quanto fatius erat dicere, corpus Christi manere corpus: sed ab anima vera fide apprehensum, causam illi esse vitæ spiritualis & æternæ, hocque sensu verum fieri animæ nutrimentum. Hoc intelligi potest: quæ verò de manducatione orali corporis spiritualis dicuntur, verba sunt, quorum si sensum quæris, operam ludis.

S. 8. Sed fingamus, nos clare & distincte percipere, quid illa manducatio sit: quid conferre potest ad salutarem hominis eum Christo communionem? Si quis Christum in ædes suas recipit, num hoc aliquid confert ad id, ut dicere possit, *Christum suum esse, quatenus est Redemptor & causa vitæ æternæ?* Nihil sine dubio. Sed quid si recipit in cubiculum, quid si in lectum, quid si in gremium? nihilo plus. Quid si uberibus eum admoveret, si in utero gestaret, ut quondam mater Domini? Num per hoc Christus fieret ejus Redemptor & causa vitæ? Negat id Christus ipse Luc. XI. 27. Quid igitur hoc proderit, si Christus ore recipitur? Hoc qui facit, dicere potest, *Christus est in ore, in corpore meo*, prout Maria dicere potuit, *est in utero meo*. Sed num propterea dicere potest: *Christus est meus redemptor, est vita, est salus mea*: in quo solo communio salutaris Christi consistit? Sane si fieri posset, ut quod Adversarii dicunt de corpore Christi, corpus nostrum totum esset in unico puncto, & in puncto eodem, in quo est corpus Christi: concipi nequit, quomodo & hæc conjunctio quicquam ad salutarem Christi communionem conferret. Fides sola est, quæ ita *Christum recipit*, per quam *habitat Christus in cordibus nostris*. Hæc ubi adest, Christus noster est cum omnibus beneficiis suis: sin abest, nulla Christi pars ad nos pertinet.

S. 9. At forte oralis hæc manducatio confert aliquid ad fidem in homine producendam. Hic verò si percutremus omnia genera causarum *physicarum & moralium*; reperiri nequit, ad quam classem hæc causa referri possit, si manducatio oralis fidei causa est. Necesse est igitur, ut causa hujus effectus sit *hyperphysica & miraculosa*: quod dicere non minus absonum est. Si enim manducatio corporalis sua natura nihil confert, ad fidem, justificationem & sanctificationem: ad quid prodest miraculosa illa, corporis Christi in S. cœna præsentia? Adest ibi corpus Christi modo miraculosissimo: quare? ut ore comedi possit. Sed quid si ita manducatum est, hoc quid prodest ad vitam animæ? Nihil natura sua, sed accedente novo miraculo. Hoc perinde est, ac si quis diceret, Christum Lazarum resuscitaturum suscitasse alium quendam mortuum, cujus verbis postea virtutem suscitandi mortuos per novum miracu-

raculum indiderit. Nescio, quid sentiant ii de constantia Dei, sapientia, simplicitate, quam in operibus suis observat, qui eum tam prodigum miraculorum fingunt; ut maximum patret miraculorum omnium; quo patrato, novo miraculo opus sit, ut prius non sit in cassum productum, sed aliquam efficaciam habeat.

S. 10. Satis ex dictis videmus, quam parum profit sensus, quem Adversarii verbis Domini subjiunt, ad *verum S. cœna scopum: communionem cum Christo salutarem*. Videre simul potuimus, neque ad alterum *scopum*, hunc sensum quicquam facere, huic *subordinatum; commemorationem mortis & passionis Christi*. De hoc tamen aliquid est addendum. Non video, sensum adversæ partis *ulla* relinquere in S. cœna *symbola*, quibus *mors Domini* repræsentetur. *Panis & vinum* in ea non amplius sunt, aut si adsunt, *receptacula* sunt, non *symbola*. *Panis fractio* symbolica non est, saltem secundum multos realis præsentia patronos. Nulla verba supersunt in S. cœna, ex quibus discatur, Christum *symbolum* aliquod *passionis & mortis suæ* instituisse. Quomodo igitur S. cœna est *monumentum mortis Domini*?

S. 11. Hic vero Adversarii, si monstrandum ipsis est, quid sit in S. cœna, quod faciat, ut illa sit *monumentum huius mortis*, perplexe loquuntur. Nonnunquam videntur credere, in S. cœna non magis esse *commemorationem mortis Christi*, quam *in genere omnium ejus beneficiorum*; unde sæpe, in definitione S. cœnæ, *mortis Domini* nullam speciatim faciunt mentionem. Nonnunquam *pani & vino præter usum primarium*, ut sc. *corpus & sanguinem Domini contineant*, alium *secundarium* tribuere videntur, ut eadem, idque in statu *mortis, representent*. Nonnunquam videntur dicere: Christum *monumentum esse suæ ipsius*, cumque vivum præsentem sub *pane & vino*, aut eorum speciebus, se ipsum aliquo modo ut *mortuum* repræsentare. Et hoc postremum admodum placuit *Cardinali Perronio*, qui id variis similibus illustrat, hocque inter alia: Christum vivum, sub speciebus *panis & vini*, se ipsum repræsentare ut *mortuum, quemadmodum David post adventum ad regnum personatus in theatro potuit repræsentare prælium in juventute cum Philistæorum gigante*

D

gante

gante commissum. Ita Christus in S. coena aut potius in sacra
scena ageret personam sui ipsius, Sed unde rem tam lepidam
didicit Vir acutissimus? non aliunde id cognoscere potuit, nisi
ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum, &c. Hoc est sanguis meus,*
&c. Huc igitur utrumque dictum rediret: Hoc sum ego vi-
vus, vobiscum visibiliter hic accumbens, at simul in sacra hac
scena invisibiliter praesens sub specie panis & vini, agens sub
hoc schemate personam mei ipsius, ut mortui. Haec interpre-
tatio, si cui praenostria sapit, ei suum palatum non invidio:
sed dubito, an ita Apostoli verba Magistri sui intellexerint.

§. 12. Non necessarium esse credo, haec & alia hujus com-
matis refutare; conferat ea quilibet, qui bona mente non de-
stituitur, cum nostra de S. coena sententia, & videbit facile,
utra pars aptius respondeat, cum quaeritur: qua ratione S.
coena sit monumentum mortis & passionis Domini. Cate-
rum hoc certum est, praesentiam Christi substantialem sub pa-
ne aut ejus specie nihil conferre ad mortem Christi repraesent-
tandam, cum illa neque per se ipsa sensibilis sit, neque ullam
sensibilem mutationem in pane producat: quicquid igitur
Christus ita sub pane & vino eorumve speciebus latens potest
repraesentare, idem facere possunt haec *symbola sola, sine persona*
Domini substantialiter in iis latente. Imo si ita sub his late-
ret, praesentia haec Christi invisibilis nobis non revocaret in
memoriam Christum mortuum; sed verbum Domini, quod
paulo ante mortem dixit, nobis in memoriam revocaret hanc
praesentiam. Atque ita perspicuum est, ad hunc saltem scopum,
ad mortem Domini nobis in memoriam redigendam, hanc invisi-
bilem praesentiam prorsus esse inutilem.

§. 13. Sed ad hunc scopum non modo inutilis est, verum
communicantem à meditatione mortis Domini abducit. E-
nimvero si quis mentem alicujus, morti & passioni Christi
unice intentam, ad alias cogitationes avocare vellet, nullum
objectum ipsi proponere posset ad hoc aptius, quam praesen-
tiam realem Adversariorum. Qui hominem cognoscit, igno-
rare nequit, *objecta* hujusmodi *mira & stupenda, novitate & in-*
solentia sua, mentem ejus ita percellere, & omnem, ut ita dicam,
capacitatem ejus explere, ut dum ista praesentia sunt, de alio ob-
jecto

jecto cogitare non possit. Num igitur Christianus, cum sacra
symbola capit, cogitabit, uti decet, de morte Domini; dum ejus
mentitot mirabilia obversantur: dum cogitat de Christo glo-
rioso, modo tam stupendo sub pane, quem capit & edit, præ-
sente; dum cogitat, *eum totum esse in hoc pane & totum in quali-
bet mica; totum in vino & qualibet ejus gutta; totum in ore suo,
& totum in ore omnium secum communicantium*: aut dum
cogitat, *Christum, ex hostia mirabili quinque verborum vi pro-
ductum, sibi in os ingeri*. De his & aliis præsentia realis ad-
mirandis si quis cogitat, uti, si vera sunt, cogitare debet:
num quicquam mentis illi superest *ad meditationem mortis Do-
mini?* Quam vero meditationem! qua nulla potest esse Chri-
stiano utilior, magisque necessaria: quæ in S. cœna & u,
unica nostra occupatio esse debebat: in qua mens communi-
cantis unice debebat esse defixa: ubi nihil aliud scire debebat
nisi Jesum Christum *ὃς τῆτον ἐς αὐτομέρον*: ubi animam in Gol-
gotha esse oportebat, & cum Cypriano erat dicendum: *cruci-
ferentis, sanguinem sugimus & inter ipsa Redemptoris nostri vulne-
ra figimus linguam, Cyprian. de Cœna Domini.*

S. 14. Qui, quæ adhuc dicta sunt, sine partium studio,
perpender, facile judicabit, quænam interpretatio verborum
Domini vero *S. cœna* scopo melius conveniat, nostrane, an par-
tis adversæ. Pauca quædam addemus *de scopo Sacramentorum*
in genere. Certum est, Sacramenta in eum finem verbo Dei ad-
di, ut *illud confirmet*, eique fidem faciant; atque ita *nostra in-
firmitati succurrant in credendis salutaribus fidei mysteriis*.
Hoc præstat S. cœna, si nostra doctrina vera est. At si adver-
sariorum sententia locum habet: tantum abest, ut *infirmas*
nostra in credendis fidei mysteriis *sublevetur*, ut potius *grave-
tur & oneretur*, novo quodam mysterio in S. cœna proposito,
creditu longe difficiliori, quam sunt omnia reliqua simul
sumta. Atque ita Christus non aliter nobiscum ageret, quam
si quis rem creditu difficilem narrans, ad fidem narrationi fa-
ciendam, nosque ad assensum permovendos, narraret rem a
veri specie longe magis alienam, imo prorsus incredibilem.
Cœna Domini, si adversarii eam recte intelligunt, non est apta
ad fidem nostram ejusque infirmitatem *sublevandam*; sed ad
fidei nostræ *firmitatem explorandam & tentandam*.

§. 15. Certum quoque est, *Sacramentorum* omnium scopum esse aliquid significare. Sacramentum enim est *sacrum signum, signum visibile & sensibile*; id quod pars ad versa ipsa fatetur. Jam vero praesentia illa invisibilis corporis Christi sub pane aut ejus specie, non modo ad hoc nihil confert, ut S. coena sit Sacramentum, id est, ut aliquid significet: sed, si rem probe consideramus, tollit ex sacra coena omnia signa visibilia, *signa ab ipso Christo ad aliquid nobis suo nomine significandum instituta*. Respondeant enim dissentientes non obscure & perplexe, sed distincte & perspicue ad haec tria. 1. *Quenam in S. coena signa sint visibilia à Christo instituta, ut aliquid nobis suo nomine significant.* 2. *Ad quid significandum sint instituta.* 3. *Quibus verbis Christus declarat, se ea ad hoc significandum instituisse.* Nos ad haec tria expeditissime respondere possumus: possuntne idem adversarii? Si id conantur, conferat cordatus eorum responsonem cum nostra. Desinant igitur nobis objicere, communicantes in nostra coena *nuda signa* accipere: majori jure ipsis objicere possumus communicantes in eorum coena *nulla signa* accipere, nulla signa significantia id quod significant nomine & auctoritate Christi, idque ex institutione nobis in Verbo Dei declarata.

§. 16. Id quoque objicere possumus Adversariis, quod ex Sacramento, contra omnium sacramentorum naturam, faciunt *miraculum*. Sunt quidem miracula quoque *σημεία* *תהלה*, signa verbum Dei confirmantia: sed ex alio genere, quam Sacramenta. Sit tamen sacra coena Sacramentum simul & miraculum: nihil in eo quoque simile est aliis miraculis. Miracula sunt *signa visibilia potentiae Dei invisibilis*. Hic vero omnipotentia Dei fidem facere debet ipsi miraculo invisibili. Non Deus creditur omnipotens propter visum miraculum: sed propter Dei omnipotentiam miraculum creditur factum. Alia miracula confirmant veritatem & divinitatem doctrinae: hic scopus fuit omnium miraculorum *Mosis & Christi*. Hic vero verbum Dei ejusque veritas & divinitas confirmare debet veritatem miraculi: & quidem miraculi, quo nullum incredibilius pariter & inutilius esse videtur.

CAP.

Demonstratur, verba, de quorum sensu disceptatur, ad nostrum sensum significandum esse aptissima, atque ita facillime ab Apostolis intelligi potuisse.

S. 1.

Postquam sensum nostrum, quem verbis Domini subijcimus, scopo S. cœnæ vidimus longe convenientiorem sensu partis adversæ: videndum, num *verba ipsa*, si per se sola spectantur, hanc interpretationem patiantur. Hic vero statim ab initio quæro: annon Christus dicturus, *Hoc significat corpus meum*, his verbis potuerit uti: *hoc est corpus meum*. Nemo id simpliciter negare poterit, nisi statuatur, neminem unquam dicturum: *hoc significat illud*, ejus loco dixisse: *hoc est illud*; quod audacissimum foret assertum. Quod si vero Christus, ad innuendum, *hoc*, quod manibus tenebat, *corpus suum significare*, potuit his verbis uti, *hoc est corpus meum*; unde sciunt Adversarii; hoc non esse illud ipsum, quod his verbis innuere voluit: præsertim, cum sensus sit *facilis intellectu*, *pius*, *utilis ad ea omnia, ad quæ πᾶσα γὰρ φῶν utilis esse dicitur*, congruens analogia fidei, scopo vero S. cœnæ, uti monstravimus, *convenientissimus*.

S. 2. At enim, inquiunt, ita Christus *obscure* locutus esset. Sed unde sciunt, Christum obscure loqui noluisse? Sæpe obscurius Salvator noster locutus est, hujusque rei habuit gravissimas causas ipsi notas: tales & hic habere poterat. Temerarium est, leges hic illi ponere, illi injungere, ut clare loquatur, quando *articulos fidei tradit*, quando *testamentum instituit*, &c. Scit, quando clare, quando obscure sit loquendum, nostroque hic consilio non indiget. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit a consiliis?*

S. 3. Sed videndum, quid obscuritatis sit in verbis Christi nostro modo intellectis. Si verba hoc sensu obscura fuissent Apostolis; id provenisset ex alterutro horum, 1. *quod hic loquendi modus, quo quis ad innuendum*, hoc significare illud,

D 3

dicit,

dicit, hoc est illud, *ignotus fuit Apostolis: aut 2. quod Apostolis in mentem venire non potuit, Christum tunc hoc loquendi modo eo sensu uti.* Neutrum vero horum sine summa temeritate affirmari posse, clarissime ostendam. I. Hic loquendi modus est usitatissimus, idque in omnibus linguis. Tabulas pictas monstrantes aut statuas, dicimus, *Hoc est Rex, Hoc est Petrus, Paulus, &c.* quemadmodum rudes olim pictores, ut, quid pictura referat, adstantes intelligerent, adscripserunt, τὸτο εἶς, ἐκεῖνο ἴππευ, τὸτο δέσποτος. *Alian. lib. X.* Mappas Geographicas monstrantes, dicimus, *hoc est Gallia, Germania, &c.* Nominum & locutionum significationem definientes, dicimus, *triangulum est figura habens tria latera. Circulus est figura, à cuius centro ad peripheriam omnes linea ductæ sunt æquales.* Cuiusmodi definitiones sexcentæ afferri possunt, in quibus omnibus est ponitur pro significat. Quoties in oratione verbis obscurioribus subiectum videtur, *hoc est, id est,* nihil aliud innuit, aut, ut eodem sensu & hic utar verbo *est,* nihil aliud est, quam, *hoc significat.* Cum rem, actionem, cerimoniam, habitum, vestitum, ornatum, aliudve conspicientes, quod significationem aliquam habere credimus, cum, inquam, quærere volumus, *quid hæc res, actio, cerimonia, vestitus, &c. significet:* num alia formula frequentius utimur, quam, *quid hoc est?* Si ex eo, quem in pullata veste conspicias, digitum in eam intendens, quæris: *Quid hoc est?* num aptetibi respondere videtur; si dicit, est atra vestis; annon tum demum ad interrogationem respondet; si dicit: pater mihi aut frater mortuus est, aut huiusmodi aliud.

S. 4. Possem monstrare, nullum esse genus signorum, ubi hæc locutio non sit frequentissima: sed in primis id monstrandum in signis sacris & ritibus. *Passio Domini est sacrificium, quod offerimus. Cyprian. epist. 63.* Ἦν γὰρ τὸ πάχα ὁ χριστός ὁ τυθείς ὑμῶν, verba sunt *Iustini martyris dial. cum Tryphone.* *Aries Christus erat, verba sunt Augustini sermone quarto.* *Baptismus nihil aliud est, quam interitus & resurrectio eius, qui baptizatur, Chryss. hom. 9. in Heb. 7.* *Germanus Episcopus Constantinopolitanus in libro, quo varios Ecclesiæ ritus explicat, quem θεωρίαν μυστηρίων*

inter 40. e-
ditos à Sir-
mondo. 8.
p. 42.

ῥιζὴν appellat, plurima habet hujus locutionis exempla: manna fuit Christus: margarita in sancta mensa sunt dogmata doctrina Christi ad discipulos: altare est praesepe & sepulchrum Domini: Lora qua à latere dependent sunt sanguis, qui fluxit ex latere Christi in cruce. Patina est feretrum, in quo corpus Christi à Diacono & Sacerdote componitur: Sacerdos & Diaconus sunt Joseph & Nicodemus. Vinum & aqua sunt sanguis & aqua ex latere Christi egressa, & plura hujus generis. Unde videmus, in explicatione sacrorum rituum, qualis S. cœna quoque est, has phrasas esse usitatas.

§. 5. At fortasse Hebraei hæc phrasis isto sensu non fuit usitata: de hoc mox videbimus: nunc tria hæc prius notari velim: 1. Græcos & Latinos vocabulis hac in re minime destitui: habent verba ἀλλῶν, σημαίνειν, ἐμφαίνειν, εἰρονοτείν, &c. significare, notare, designare, &c. 2. Hebraei dicere quidem possunt, unum alterius esse הוּאֹ signum, sed aliis verbis id enunciare vix possunt, nisi ejus loco dicere ipsis liceat, ut Latinis & Græcis, unum esse alterum: unicum enim verbum, quod respondeat latino significare non habent. 3. Nullus fortasse populus unquam fuit, qui necesse habuerit, toties quærere, toties alteri declarare; quid hoc illudve significet, ac populū Judæorum. Religio eorum plena fuit typis, ceremoniis, ritibus mysticis, visionibus symbolicis: historia in priscorum monumentorum intelligentia consistebat: in sermone crebri fuerunt apologi, parabola, enigmata, allegoria. Hic perpetuo erat quærendum ab una parte, quid hoc illudve repræsentet aut sibi velit, ab altera significatio recondita erat declaranda. Cum igitur apud Latinos, & Græcos in frequenti usu fuerit, ut dicturi, aliud significare aliud, dicerent, aliud esse aliud: quanto magis id apud Hebræos frequens esse debuit, qui & occasiones id dicendi longe plures habuerunt, & omni pene alia ad id commode efferendum loquendi forma fuerunt destituti: nisi quis forte statuat, hoc locutionis compendium iis penitus incognitum fuisse, quod, quam procul sit à vero, nunc monstrabimus.

§. 6. Cum quærere voluerunt Hebraei significationem dicti alicujus obscuri, prorsus ut Latini, quæsiverunt הוּאֹ הוּאֹ quid hoc sc, est, quod Græci reddunt, τί ἐστὶ τούτο; ut videre est Joh.

XVI. 17, 18. Ita quoque quæ siverunt, quænam sit significatio ritus alicujus. Exemplo sunt Israëlitarum filii, qui significationem ritus Paschalis à Patribus exquirentes: ita loquentes introducuntur, מה העבודה הזאת לכך: quod *vulgatus* ita reddidit: *qua est ista religio?* ad quæ verba notat *Varabius*, hebraicum esse, q. d. *Quid sibi vult cultus iste, quem observatis.* Ita Ezechielis XVII. postquam Deus jussit, ut Propheta *anigma & parabolam* narraret domui Israël, post in explicanda significatione *anigmati & parabole*, ita eum voluit ordiri אל תאמר מה אלך, quod cum *Septuaginta* reddidissent: *ὐκ ἐπίσταμε τί ἔστι ταῦτα*; *vulgatus* id explicat, *Nescitis, quid ista significant?* v. 12. Hæc interrogatio apud *Zachariam* sæpius occurrit; una cum responsione simili, מה המה אלך & מה אלך, quid ista sunt cap. I. v. 9. & 19. ubi responderetur *אלה הקרני*, *vulg.* *Hæc sunt cornua* (i.e. imperia), *quæ ventilaverunt Judam, &c.* Ita cap. IV. 4, 5. *τί ἔστι ταῦτα*; *ὁ γινώσκων τί ἔστι ταῦτα*; itidem v. 13, 14. ubi habetur responsio ad istam interrogationem: *ἐτοιμασίαι οἱ δὲο ὑοὶ τῆς μισθίας*. Vide plura cap. V. 8. & VI. 4, 5. Inde certo discimus, quomodo Hebræi soliti sint *querere, quid hoc aut illud significet, & quomodo consueverint ad istam quæstionem respondere.*

§. 7. Eadem vero locutione usi sunt, sine præcedente quæstione, ad significationem variorum signorum declarandam. Signorum supernaturalium, sive miraculorum, quæ ab Hebræis *אתארת* *עֲצוֹת* vocantur: i.e. signa potentiae divinæ: ita Magi de miraculo Moïsis, quod imitari non potuerunt, dicunt: *Hoc est Digitus Dei*, i.e. indicium certum & *τεκμήριον* potentiae sive digiti Dei Exod. VIII. 19. Signorum naturalium *אלה בתורת*, quod *Septuaginta* ad verbum ita reddunt, *ταῦτα τὰ παρθεύετα τῆς θυγατρὸς μου*: *vulgatus* ita explicat: *ecce hæc sunt signa virginitalis filia mea* Dent. XXII. 17. Signorum arbitrariorum ex institutione Dei hominumve significantium, e.g. verborum & locutionum, ubi communiter adhibent pronomen *אמר*, aut aliud simile, quod *Hellenista* reddunt *εἶπεν*, *ἔφη*. Marc. VII. v. 2. Rom. VII. 18, Heb. VII. 2. Symbolorum prophetiæ: ut videre est ex locis *Zacharie* adductis, adde Ezech. V. 5. & XXXVII. 11. Dan. VII. 17, 23, 24. & VIII. 20, 21, 22. Apoc. I. 20.

IV. 5.

IV. 5. & V. 8. & XVII. 9, 10, 12, 15, 18. & XIX. 8. In declaratione
fomniorum symbolorum. Genes. XL. 12, 18. & XLI. 26, 27. Dan.
II. 38. & IV. 20, 22. Typorum, Gal. IV. 24. Parabolarum five nar-
rationum symbolicarum 2. Sam. XII. 7. Esai. V. 7. Matth. XIII.
37, 38, 39. Luc. VII. 11, 12. Job. X. 7. Et, quod præcipuum est, in
declaratione eorum signorum, quæ peculiari nomine hodie
Sacramenta appellamus. Si scire velis, quid *Petra* in deserto
significaverit, respondet tibi Apostolus: *Petra erat Christus*,
1. Cor. X. 4. Si quærunt Israelitæ, de ritu Agni paschalis העבדה הזאת
העבדה הזאת, *quid sibi vult cultus iste?* Respondebit Deus ipse,
פוח הוא ליהוה, *hoc est transitus Domino: nam transibo. &c.* Im-
molare agnum est *immolare transitum*: sacrificium agni est Sa-
crificium transitus. Exod. XII. 11, 21, 26, 27. Si quæris, quid signi-
ficet, quod Deus voluit, ut *circumcidatur in populo suo omnis ma-*
sculus, respondebit Deus, זאת בריתי, *Hoc est fœdus meum*, quod
ipse ita explicat: *hoc erit signum fœderis inter me & vos.* Gen.
XVII. 10, 11. Si quæris, quid sibi velit *Baptismi ritus* inter Chri-
stianos; vocabit eum Apostolus *lavacrum regenerationis.* Tit.
III. 5. dicet, *nos per eum sepeliri cum Christo.* Rom. VI. quod idem
est ac si diceret: *Baptismus est lavacrum regenerationis: est sepul-*
tura hominis cum Christo. Si quæris, quid poculum in S. cœna
significet: respondebit Christus: *hoc poculum est novum te-*
stamentum in sanguine meo. Si quæris, ut & hoc ex *Judaorum*
libris adducatur, quid significant illa לחמניות live *frustula pa-*
nis azymi, (פתותים Hebræi vocant) quæ pater familias contu-
bernalibus in cœna Paschatis distribuit: respondebit ipse Pa-
terfamilias: הא לחמה דעונת די אכלו אבהתנא בארעה דמצרים
Hoc est panis miseria, quem ederunt patres nostri in terra Egypti.
Vid. Scal. lib. VI. de emend. temp. & Buxtorf. de Cœna Domini,
p. 288.

§. 5. Ex his sequentia evidenter colligimus: 1. Hunc lo-
quendi modum esse *in omnibus linguis usitatissimum*, ab Hebræis
in primis frequentatum, idque tanto magis, quo magis illo
rum ob defectum aliarum locutionum idem significantium,
tum copiam omnis generis symbolorum indigebant. Quod
si qui igitur nobis obiiciunt, hanc loquendi formam esse *tro-*
picanam; respondemus ex *Posio*: *Sunt metonymica non pauca,*
E quorum

quorum usum licet frequentes, nihil à propria significatione recedere videaris. *Instit. Orat. lib. IV. c. 7. §. 8.* Et sane pro tropis amplius habenda non sunt, quæ non minus à vulgo ipso sunt trita, quam propria, imo propriis ipsis frequentiora. 2. Hunc loquendi modum esse *clarissimum*, præterquam enim quod omnia usitata perspicua sunt, adhibetur iste modus loquendi in *rebus & verbis obscuris* declarandis (quod ex omnibus exemplis allatis patet) & declarandis omnis generis hominibus, rudibus imo pueris. Hac phrasi non tegitur mysterium, sed mysterii significatio detegitur: unde Christus, cum in *Apocalypsi* ea utitur, utitur ad *mysterium septem stellarum*, aut, ut *vulgatus* reddit, *Sacramentum* explicandum. Apoc. I. 20. & *Angelus* utitur eadem ad declarandum *mysterium* sive *sacramentum mulieris & bestia* Apoc. XVII. 7. Ex quo efficitur, vana quoque omnia esse argumenta adversariorum contra sensum nostrum, quæ supponunt, tropum hunc, si modo pro tropo hic habendus est, esse *obscurum*.

§. 6. Colligimus 3. *Christum ipsum* hunc loquendi modum frequentasse in explicandis *parabolis* suis, quæ cum *Sacramentis* magnam affinitatem habent. Ut enim *Parabolæ* narrationes sunt, ubi doctrina salutis per symbola proponitur *imaginationi*: ita *Sacramenta* sunt ritus, ubi eadem doctrina per symbola ipsis *sensibus* subjicitur. 4. *Apostolos à Christo & aliis* hunc modum loquendi sæpissime *audivisse*, facile *intellexisse*, imo ipsos crebro *usurpasse*. 5. Hunc morem loquendi optime *convenire* *S. cœna*: cum hæc, ipsis fatentibus adversariis, sit *Sacramentum*, i. e. *signum sacrum*, in quo nisi sensibilia sint elementa, aliquid in sensu non cadens significantia, non est *sacramentum*: significare autem nihil possunt, nisi à Christo ad id instituta. 6. Hunc modum loquendi *speciatim* in declaranda significatione *rituum* illorum, quæ *Sacramenta* vocamus, non modo adhiberi posse, sed sæpe *fuisse adhibitum*.

§. 7. Quod si quis tandem fateretur, modum istum loquendi, eo sensu, quo illum accipimus, *usitatissimum*, discipulis Christi *notissimum* & negotio *convenientissimum* fuisse: sed negat, hunc sensum Apostolis in mentem incidere potuisse: is eos admodum *bardos, blennos, & stupidos* fingit. Ut autem *clarissime*

me

me videatur, eum sensum Apostolis non modo facile in mentem venire potuisse, sed necessario debuisse; insuper & hæc observanda proponimus. I. Præterquam quod Apostolis quotidie occasiones datæ sunt de symbolis omnis generis & eorum significatione cogitandi, id præcipue accidit tempore Paschatis, imo in ipsa Paschalis celebratione, cum qua Christus S.cenam conjunxit, in quo omnes ritus mystici fuerunt & symbolici. II. Eo ipso tempore frequentissimæ fuerunt locutiones symbolorum significationem declarantes, ut non poterit non sæpe audiri, *hoc est illud, hoc est istud*. Omnibus in ore fuit, *Pascha præparamus, pascha maclamus, pascha edimus, &c.* Si quis ex Apostolorum aliquo, digitum in agnum intendens, quæstivisset: *quid hoc est*: num aliter respondisset, quam: *Hoc est panis i. e. transitus*. Quo facit illud carmen Patrisfamilias *αὐτὸς ἡμεῖς* distribuentis modo à nobis adductum.

III. Discipuli Christi assueti dicta & facta Magistri considerare tanquam aliquid reconditum significantia, sine dubio attentissimi fuerunt in ultimo hoc Paschate & sequente Cœna ad omnia dicta ejus & facta. Nihil frustra eum hic agere crediderunt, nihil, quod non *mysticam significationem* haberet. Cum igitur viderent, eum *panem benedictum & fractum* sibi edendum porrige, fieri non potuit, quin tacite apud se quærerent *ἡ ἰσχυρία* aut *ἡ δύναμις*, quam formulam ipsis familiarem fuisse, vidimus ex *Joh. XVI. 17, 18*. Jam cum Christus panem tradens ait: *ἡ ἰσχυρία* aut *ἡ δύναμις* τὸ σῶμα, nihil aliud ipsis in mentem venire potuit, quam Christum declarare, quid hac panis exhibitione significet.

§. 8. IV. *Analogia* præterea inter *panem & corpus Christi* Apostolos commonescere debuit, panem hic esse *signum analogum* corporis Christi, *εἰκόνα, signum representans*. Ipsi ad versarii fateri coguntur hanc analogiam, cum corpus Christi in S.cœna nobis proponatur, ut cibus & panis: neque profusus audent negare, panem si manet, aut saltem accidentia panis, si panis convertitur, hanc similitudinem nobis representare. Concludenda etiã hæc *analogia* fuit ex eo, quod Christus corpus suum *fractum* appellat, non sine allusione ad *panem*, cui *proprie* hoc epitheton convenit. Imò ante institutam S.cœ-

nam analogia inter panem & corpus Christi Apostolis nota fuit ex iis, quæ Christus dixit *Job. VI.* ubi toties *corpus* suum & *carnem* suam *panem* vocat, i. e. pani similem esse dicit. Jam tum aliquomodo panem instituit ad corpus suum significandum. Cum enim dixit, corpus suum esse panem, i. e. pani similem, hoc ipso dixit, panem esse signum & imaginem corpus suum representans: quemadmodum cum dixit, se esse veram vitem, i. e. viti similem; dixit vitem esse sui signum & imaginem: sicque vitem aliquomodo instituit, ad se ipsum significandum. Quod si igitur Christus dicendo: *Hoc est corpus meum*, dicere voluit, panem corpus suum significare; dixit rem, quam cognita analogia inter *panem* & *corpus Christi* Apostolis in memoriam redigere debuit; rem ipsis non penitus novam & inauditam: sed jam aliquo modo notam. Dico, aliquo modo: cognoverunt enim jam ante, *panem quemlibet* esse *eivāra* corporis Christi; sed nondum sciverunt, *hunc panem* sacramentalem in solenni Eucharistiæ ritu ex mandato Domini adhibendum, Christianis usque ad finem mundi, loco *symboli* & *sigilli* futurum, quod ipsis nomine Christi *obsignet* & *confirmet*, corpus ejus crucifixum in sacra cœna animæ communicantis ab ipso Christo vere exhiberi, & à credente vere recipi.

§. 9. V. Si ex his omnibus Apostoli concludere non potuissent, Christum dicendo, *hoc est corpus meum*, velle innuere, panem corpus suum significare, colligere id debuerunt ex locutione simili, cum de poculo dixit: *Hoc est Novum testamentum in sanguine meo*: præterquam enim, quod ipsa vox *diabñny* & *diabñny* solent adhiberi: hæc verba nullum alium sensum admittunt, quam, poculum aut vinum in poculo esse symbolum sanguinis Christi, quo *Novum fœdus sancitur*, aut *Novum testamentum confirmatur*. Colligendum id quoque erat inde, quod Christus dixit: *fractionem panis esse fractionem corporis sui*. Ubi, inquis, hoc dixit? Judicet hic cordatus; annon qui *panem frangit*, huncque sic *fractum* tradens alteri, dicit: *hoc est corpus meum pro vobis fractum*; annon simul dicat, *fractio hujus panis est fractio corporis mei*. Necessario denique id concludendum erat ex verbis Christi: *Hoc facite ad mei commemorationem*

tionem: quo nihil aliud significatur, quàm Christum S. cœnam
ideo instituisse, ut sit *monumentum sui absentis*, tam diu du-
raturum, quoad ipse à nobis absens futurus esset; id quod *Paulus*
manifeste indicat, cum vult ut in S. cœna, *quoties panem edim-*
us & vinum bibimus, annunciemus mortem Domini, DONEC
VENERIT.

S. 10. Cum his omnibus si jungatur, nullam aliam inter-
pretationem Apostolis in mentem venire potuisse, quam non
protinus *rejecturi* fuissent, tanquam *sensibus, rationi, scopo Christi,*
aliis ejus dictis adversam: nescio quid ulterius requiri po-
tuerit, ad sensum verborum Christi penitus determinandum.
Nisi fortasse hoc fuit, quod Apostolos impediit, quo minus
sensum huic amplecterentur, quod videbant, ita in verbis *tropi-*
cum esse: existimabant autem magna religione literæ esse in-
hærendum, & à proprietate verborum sine urgentissima caus-
sa ne latum quidem unguem esse recedendum. Sed *tropica* lo-
cutiones non adeo novæ fuerunt Apostolis, hominibus *Judæis,*
qui sæpius *tropice,* quam *proprie* loquuntur; quos præterea
Magister ita assuefecit *tropicis* locutionibus, ut magis illis ca-
vendum fuerit, ne *tropice* ab eo dicta *proprie,* quam ne *proprie*
dicta *tropice* intelligerent. Deinde si *rationes* à proprio sensu
recedendi hic non sunt *sufficientes,* vellem scire, quid tandem
sufficiens sit? Habentne Adversarii causas semper graviores,
quotiescunque dicta Scripturæ S. *tropice* intelligunt? Si quis
tam pertinaciter vellet inhærere proprietati verborum, quæ
ipsi *tropice* interpretantur, num fortioribus argumentis hunc
à proprio sensu depellerent? Possemus hujus rei periculum
facere: sed non opus est. Ausim enim confidenter hic asseve-
rare, *Apostolos,* si verba Domini nostro more intellexerunt, non
animadvertisse, *sensum suum esse tropicum,* & non magis co-
gitasse de sermonis impropriate, quam cum Christus iis pa-
rabolas explicans dixit: *Ager est mundus: bonum semen sunt*
filius regni: aut cum ipsi interrogaturi, quid hoc aut illud signi-
ficet, dixerunt, *quid hoc est?* Sunt multi tropi adeo usitati,
etiam inter plebejos, ut nemo animadvertat, quicquam in iis
impropriatis esse, nisi qui *Rhetoricam didicit,* aut ab aliquo
artis perito id audivit.

S. II. Arenim, inquiet tandem aliquis, si Christus id, quod nos putamus, dicere voluit, cur non dixit: *Hoc significat corpus meum*? omnem sic ambiguitatem evitasset. Temeraria interrogatio! Cur Christus dixit, *ager est mundus*, & non potius, *ager mundum significat*? Si tamen hic aliquid respondendum est, quæro ex istis temerariis vicissim, quomodo igitur existiment, Christum ea lingua, qua tum usus est, loqui debuisse, ad innuendum, panem significare corpus suum: fallor? an nullum ad id exprimendum loquendi modum usitatio-rem invenient? Quod si vero talem invenirent, gravem videmus causam, quare hunc, quo usus est, aliis prætulit: vid. *singularis emphasis verborum*. Major vis est in verbis Domini, cum panem edendum porrigens dicit: *Hoc est corpus meum*, quam si diceret, *Hoc significat corpus meum*. Videor mihi audire vocem sponsi, sponsæ tradentem arrham conjugalem, his verbis, *Accipe, & tibi serva, hoc est cor meum, tibi penitus devotum*. Christus ita significat, se exhibens panem ut symbolum corporis sui, tam certo exhibere corpus suum, ac si panis ipsissimum corpus esset: simulque innuit, se, cum symbolum dat, non tam symbolum dare, quam id, cujus gratia symbolum tradit, corpus vid. suum: & propterea in isto signo præcipue esse attendendum, non *quid sit natura sua*, quam *quid sit in hoc ritu sacramentali, quid sit symbolice*; ut, quemadmodum Christus nobis daturus corpus suum, substituit in ejus locum panem, ad exhibitionem hanc confirmandam & sensibilem reddendam: ita fidelis vicissim in locum panis substituat ipsum corpus Domini, & panem accipiens à ministro Christi, credat à Christo se ipsum corpus ejus crucifixum accipere. Hanc emphasis habent verba Christi, si quis ea probe meditetur, cum antecedentibus & consequentibus, aliisque similibus locutionibus diligenter contulerit. Hacque ratione Dominus noster sermonis proprietatem exactissime observavit; si verum est, quod ait Quintilianus, id laudari solere, ut proprie dictum, quo nihil inveniri potest significantius. In *stit. lib. 8. cap. 2.*

CAP.

*Demonstratur, verba Domini isto sensu,
quem pars adversa eis subicit, à discipulis Christi nec
intelligi potuisse neque intellecta
esse.*

S. 1.

Hic ab initio novum cuilibet videbitur, quod illi, qui dicuntur à sensu proprio & perspicuo recedere, inter se optime concordent; hi vero, qui gloriantur, se literæ inhærere & sensui clarissimo, mirum quantum inter se discrepent. Nos quidem, qui sensui, ut ajunt, obvio & simplici renunciamus, in hoc omnes convenimus, quod existimamus, verba Domini denotare, *panem esse corporis Christi symbolum*. Nam quod nobis, tanquam magnum dissensum, objiciunt, quod alii Doctorum nostrorum tropi sedem in predicato, alii in copula collocant, tam leve est, ut mirer, viros graves in re tam seria ad ludicra ista delabi. Quid enim? creduntne, magnum esse dissensum inter *Zwinglium & Oecolampadum* in exponendis verbis Christi: *ager est mundus: inimicus est Diabolus*, &c. quoniam, ille in his quoque enunciationibus tropum in copula, hic in prædicato quærit? ita sane in sexcentis aliis ejusdem sententiæ enunciationibus gravissime dissentient. An notabilis dissensus esset inter duos *Dialecticos* in interpretandis verbis Apostoli: *Impossibile est sine fide Deo placere*: si alter in logica sua modum in ejusmodi enunciationibus modalibus, uti vocant, ad predicatum, alter ad copulam referret? In sensu ipso nullus hic est dissensus, sed tantum in notionibus Logicis aut Rhetoricis, sensui, de quo utrinque constat, commode applicandis: dissensus, qui non magis in una propositione est, quam in mille aliis similibus; qui denique ab iis, qui artes has non didicerunt, non percipi potest.

S. 2. Quanto major est dissensus eorum, qui literæ, uti videri volunt, inhærent. Alius in verbis Domini invenit conjunctionem corporis Christi cum pane: alius transmutationem panis

panis in corpus Christi : & tamen, si utrosque audis, suus cuique sensus non modo proprius, sed adeo *obvius & perspicuus* est, ut summæ pertinaciæ sit, ut eum non agnoscere. Cum pro verborum proprietate decertant, mutantur à se invicem argumenta, quibus probent, non nisi verba propria, obvia & clarissima in institutione S. cœnæ locum habere, talia denique, quæ ab Apostolis, hominibus rudibus & admodum tardis facillime intelligi potuerint. At cum ad rem ipsam venit; cum quæritur, quidnam igitur sit, quod verba tam clara significant: hic vero in diversissima abeunt: Si hos audis, *clarissime* significant, *panem manere & cum eo corpus Christi mirabiliter quodam modo esse conjunctum*. Si illos interrogas, denotant: *panem non manere, sed in corpus Christi transsubstantiari*. Cur tam diversa his verbis intelligunt, qui tamen non satis eorum perspicuitatem extollere possunt, qui pariter sese jaçant, quod sensum simplicissimum & cuilibet vel tardissimo sponte se offerentem retineant?

S. 3. Sed id quoque mirum est, omnes hos interpretes, qui verborum clarissimorum sensum adeo obvium amplectuntur, quamprimum ex ipsis quærimus, quid igitur in dicto Salvatoris tam perspicuo: *Hoc est corpus meum*, significet vocabulum, *hoc*; statim in prima voce hæere, perplexe loqui, in diversa abire. Nos quidem *Tropista*, uti nos vocant, nihil hic difficultatis invenimus. Legimus, Dominum *accepisse panem*: cum dicitur *benedixisse & fregisse*, credimus eum *benedixisse pani, fregisse panem*: cum additur, *discipulis dedisse, & dixisse, Accipite edite*, credimus Dominum discipulis *dedisse panem, jussisse illos accipere & edere panem*. Cum statim subjicitur: *Hoc est corpus meum*, aut, *hoc enim est corpus meum*, nos simplices de plebe homines credimus, etiam nunc sermonem esse de *pane*. Putamus, Dominum *id corpus suum vocare*, quod discipulos *accipere & edere* jussit: *jussisse accipere & edere*, quod *dedit: dedisse quod ante fregerat, cui benedixerat, quod ipse acceperat, i. e. panem*, ut diserte dicunt omnes, qui historiam institutionis S. cœnæ nobis describunt. Existimamus, Apostolos quoque ipsos, homines minime doctos, videntes oculis Dominum *panem* in manibus habentem, quem modo fregerat.

rat, hunc panem sibi porrigentem, & simul cum porrectione panis dicentem: *Accipite, edite, hoc est corpus meum*; nihil aliud cogitare potuisse, quam Christum de pane loqui, quem sibi porrigi videbant; hunc panem ante oculos positum Dominum iubere accipi & edi, hunc panem vocare corpus suum. Existimamus, cum Christus calicem porrigens, dicit, *Hoc est sanguis meus*, eum loqui de calice, i.e. vino in calice, & in hac sententia à *Luca* & *Paulo* confirmamur: sed & confirmamur in hoc, quod putamus, cum Christus panem porrigens dicit: *hoc est corpus meum*, eum pariter loqui de pane: præsertim cum animadvertimus, panem ubique in S. Scriptura opponi poculum, tanquam alterum symbolum S. cœnæ. Scimus quoque, plerosque veteres Ecclesie Doctores per pronomem, *hoc*, nihil aliud intellexisse nisi panem. Et eo usque confidentes hic sumus, ut ad experientiam provocemus, & asseveremus, hominem quemlibet bonæ mentis (ignarum subtilitatum Scholasticarum & controversiarum de sensu pronominis, *hoc*) in verbis, *hoc est corpus meum*, attente lectis & cum antecedentibus & in consequentibus collatis, per pronomem istud nihil aliud intellecturum, nisi panem: atque interrogatum, de qua re Dominus loquatur, cum dicit, *hoc est corpus meum*; quid sit illud, quod corpus suum hic appellet: haud cunctanter responsurum, panem.

§. 10. Hocque adeo clarum nobis videtur, ut risum nobis excitet bellum Grammaticale, quod quidam hic nobis indicunt, eo quod Christus dicat, *hoc*, & non, *hic*; notum enim & pueris & illiteratis est; neutrum hoc absolute positum, in omnibus fere linguis, quamlibet rem significare posse, sive nomen illius rei in ista lingua sit generis masculini sive alterius cujuslibet. Hic vero pronomine neutrius generis S. Scriptores tanto liberius uti possunt, quia Christum non introducunt ante hæc verba nomen panis usurpantem, sed panem, rem ipsam, monstrantem & porrigentem; quo in casu quamlibet rem, quam monstramus, hoc appellamus, neque necesse est, ut pronomem cum nomine, quod in sermone non præcessit, genere conveniat. Præterquam, quod innumera exempla afferri possint, in quibus talia pronomina nomini non antecedenti, sed consequenti genere respondent.

F

§. 11.

S. 11. Nos igitur, quos clamant, ab obvio & proprio verborum sensu recedere, nihil, ut in reliquis hujus enunciationis partibus, ita neque in pronomine, hoc, obscuritatis & ambiguitatis deprehendimus. Quid vero illi, qui sensum clarissimum & maxime proprium retinent? In tanta opinionum varietate sunt constituti, verbis utor Vasquez, ut singularem eas recensere nimis molestum sit. Notum est dictum Ambrosii Catarini, qui inter præcipuos Concilii Tridentini Theologos est habitus: Lector, inquit, consideret laborem & angustias, usque (pene dixerim) ad necem ferè omnium scribentium, dum rogati, quid significet pronomon illud, Hoc: tot & tanta scribunt & adeo varia, ut valeant ad insaniam redigere lectorem nimium considerantem, &c. tractat. 2. de verbis, quibus conficitur. Sed quid causæ est, quod tanti viri ad eas angustias redigantur, statim in limine propositionis adeo claræ? Causa in promptu est. Firmiter constituerunt, dogma in animo præconceptum in verbis Domini invenire, & ita quidem, ut verba dogma istud suum significant proprie, omnisque ab iis tropus penitus excludatur. Quod si enim vel levissimum in his verbis tropum agnoscerent, actum esset de illa prærogativa, quam se præ nobis habere gloriantur, & in qua tantopere triumphant, quod vid. τὸ πρῶτον verborum retineant. Hic vero animadvertunt perspicaces, si concedatur, pronomine, hoc intelligi panem, quem Christus Apostolis porrexit, necessario tropum admittendum esse: cum proprie dici nequeat, panem & corpus Christi esse unum idemque, seu, substantiam panis esse ipsam substantiam corporis Christi: qui sensus fortasse non magis contradictorius est, quam sensus eorū; ipsis tamen magis contradictorius videtur. Quid igitur hic facto opus est? Difficilis res foret & fortè desperata, nisi Dominus usus esset pronomine hoc, quod sua natura ad quidlibet significandum aptum est. Subjicienda igitur pronomini, hoc, talis est notio, de qua corpus Christi proprie possit affirmari, & ita quidem, ut ex eo resulter optatum dogma sive μεθεστιας sive δισοστιας. Et hoc est, quod Doctores tantopere exercet, quod eos nonnunquam inter se collidit; in quo alius alii palmam præripuisse putat, & interpretationem, ad optatum dogma aptissimam & commodissimam excogitasse.

S. 12. Sed duo sunt, quæ Doctores tam acuti non satis animadvertere videntur. I. *Nobis licere eadem arte uti, qua ipsis uti liceat.* Illi per pronomen, *hoc*, non intelligunt panem, sed *rem cum pane conjunctam*, aut *rem sub specie panis latentem*: (affero tantum interpretationes communissimas) Sic ita: potest id intelligi, idq; *sine tropo*: pronomen enim, *hoc*, adeo generale est, ut quamlibet rem sine tropo denotare possit. Sed quid si nos per idem pronomen intelligimus *rem pane significatam*? pronomen, *hoc*, æque aptum est ad denotandum *rem pane significatam*, quam *rem cum pane conjunctam*; neque in illo magis tropus est, quam in isto; omnis enim *res singularis* proprie potest appellari, *hoc*, sine tropo. Nullus itaque tropus est in verbis Domini si ea ita interpretamur: *hoc*, i.e. *res pane significata, est corpus meum.* Et nos igitur proprie ista verba interpretamur; nullamque præ nobis hic Adversarii habent *prærogativam*. II. Non satis observant Adversarii, *minime sufficere*, pronomini, *hoc*, reperire *sensum* aliquem *faventem dogmati*, quod in verbis Domini quæritur: videndum, an verisimile sit, istud pronomen *eodem modo intellectum fuisse ab Apostolis*, primis & optimis verborum Christi interpretibus. Quid vero Apostoli per pronomen istud intellexerint, ex eo facillime cognoscimus; si supponimus, eos statim post verba Christi, *accipite, edite*, ex eo quævisse: *quid est hoc?* & tum Christum respondisse: *hoc est corpus meum.* Jam vero quærentes, *quid est hoc?* pronomine, *hoc* non potuerunt intelligere *rem cum pane conjunctam*, aut *rem sub specie panis latentem*. Quomodo enim iis in mentem venisset ex Christo quære: *quid est res cum pane conjuncta?* aut *quid est res sub panis specie latens?* Nihil igitur aliud pronomine, *hoc*, in ista quæstione intellexissent, nisi *panem*, & tum quævisissent, *quid significet*; aut *rem pane significatam*, & tum quævisissent, *quid sit?* Utrumque autem quære, facile iis in mentem venire poterat, ut supra probavimus. Efficitur inde, neque in verbis, *hoc est corpus meum*, pronomen, *hoc*, aliam significationem habere posse, utpote quibus Christus responderet ad quæstionem Apostolorum, *quid est hoc?* non quidem *expressam*, ut supposuimus, sed tacite in mente eorum formatam. Verisimili-

similimum enim est, Apostolos verba Christi accepisse, tamquam declarantia id, quod eo ipso momento scire volebant.

§. 13. Hinc quoque cognoscitur, quam male hic quadrent illa locutiones, cum quibus verba Christi comparare solent ii, qui in illis *conjunctionem corporis Christi cum panis substantia* quærunt. Quando v.g. aliquis *saccum monstrans*, ait, *hoc est triticum*; aut *cantharum*, *hoc*, inquit, *est vinum Rhenanum*: aut *crumenam*, *hoc*, ait, *est summa centum aureorum*. Fateor, in his propositionibus pronomen, *hoc*, non tam *saccum, cantharum, crumenam* denotare, quam *res iis contentas*: neque hoc mirum est, qui enim digitum in *saccum, cantharum, crumenam* intendens quæreret, *quid hoc est?* pronomen istud eodem modo intelligeret. Cum enim cognoscat, hæc ad *certi generis rem continendam* vulgo adhiberi, nihil aliud scire vult, quam quid *in specie* sit illud, quod contineant. At verborum Christi diversissima ratio est. Nemini enim Apostolorum, ut audivimus, in mentem incidisset; monstrando panem, quem Christus in manibus habebat, quærere, quid est res illa invisibilis cum pane conjuncta? Talem enim rem cum pane conjunctam esse, nemo suspicari poterat. Non perspicimus igitur, quomodo animum Apostolorum subire hoc potuerit: Christum per pronomen, *hoc*, intelligere aut *rem cum pane conjunctam*, aut *sub nuda panis specie latentem*.

§. 14. Unicum est, quod ad hoc responderi possit: Apostolos quidem, cum Christus monstrans panem, iis dixit: *Accipite, edite: Hoc est corpus meum*, ab initio nihil aliud intelligere potuisse, nisi *panem* per pronomen, *hoc*: sed propositione absoluta ex ejus *predicato* demum cognovisse, *subjectum* ejus non esse panem: cum sine contradictione dici nequeat, panem proprie esse ipsum corpus Christi: inde eos conclusisse, *substantiam aliquam invisibilem latere sub pane* aut *sub nuda panis specie*: & hanc esse, quam Christus intellexerit pronomine, *hoc*, cum dixit, *hoc est corpus meum*. Hoc, ut mihi quidem videtur, est *speciosissimum* eorum omnium, quæcunque propugnatores *Realis præsentia* pro sua interpretatione afferre possunt. Videndum igitur, ut *vanitas* ejus clarissime appareat. Primo inde sequetur,

retur, verba Domini non esse tam clara, ut dicunt; siquidem sub-
jectum propositionis non cognosci potuerit, nisi ex *ratiocina-
tione non ita facili*. Rejiciendus erat primo sensus pronominis,
qui ab initio hujus propositionis Apostolis in mentem ve-
nit; ideo, quia prædicatum ei in sensu proprio non convenit:
deinde *quærendus* erat alius huic pronomini sensus, cui præ-
dicatum proprie convenire potuerit: & demum *eligen-
dus* erat inter sensus ita repertos omnium commodissi-
mus. Nescio, an Apostoli hæc omnia tam facile, tam ci-
cero præstare potuerint, quod hodie summis Doctoribus non
parum negotii faceat, Apostoli, in quorum gratiam Chri-
stus ab omni tropo in institutione S. cœnæ tam solícite debuit
abstinere: si à rudibus istis & indoctis hominibus voluit in-
telligi.

§. 15. Pertendat tamen aliquis, Apostolos, (qui dum Chri-
stus dicebat: *Accipite, edite, hoc est, nihil aliud credere poterant,*
quam, eum loqui de *pane*, quem viderunt cum his verbis à
Salvatore sibi porrigi) simulatque audiverunt, addi verba,
corpus meum, repente ad unum omnes mutasse sententiam, &
judicasse, sermonem non esse de *pane*, sed de *substantia alia in-
visibili cum pane conjuncta*, aut ex *pane horum verborum vi pro-
ducta*, & sub ejus nuda specie latente: hanc esse id, quod Christus
accipi & edi jubeat, hanc esse illud, hoc, quod Christus *corpus
suum* esse dicit. Hoc vero si quis statuit, necesse est, ut suppo-
nat. 1. Apostolis non in mentem venisse, Christum de pane,
de quo illum loqui omnes ab initio putabant, posse dicere *hoc
est corpus meum*, ad innuendum, *panem corpus suum significare*;
quam suppositionem temerariam esse, ex ante dictis patet. Et
utrum facilius ipsis in mentem venire potuit: *modusne loquen-
di* adeo *usuratus*, Sacramento adeo conveniens, an *res tam in-
solita* & incomprehensibilis, cui nihil simile neque in ullo Sa-
cramento neque extra Sacramentum contigisse, unquam au-
diverant?

§. 16. Forte de hoc loquendi modo cogitarunt, sed eum
tanquam *tropicam* rejecerunt? sed & hoc gratis, imo absurde
supponi, supra ostendimus. Deinde, si hunc loquendi modum
ut *improprium* rejecerunt: necesse est, ut existimaverint, ver-

ba Christi *proprie* & sine tropo sive *μεθεοίας* sive *δυσφορίας* significare. Hic nolo repetere, quod Theologi nostri sapius probant, tantum abesse, ut sensus *μεθεοίας* aut *δυσφορίας* sit *sensus proprius* verborum Christi, ut potius *cum verbis illius pugnet*. Id tantum quæro, num Apostoli præceptis Rhetoricis tam probe fuerint imbuti, ut tam accurate cognoverint, quænam locutio sit propria, quæ tropica? Dicamus, quod res est. Homines plebeji de locutionibus notis & usitatis inter se distinguendis raro cogitant, neque solliciti sunt, sintne propriæ an tropicæ: sed probe distinguere norunt inter locutiones *usitatas*, à se & aliis sæpe usurpatis, & *inusitatas*, nunquam aut raro à se usurpatis & ab aliis auditis. Jam ipsorum adversariorum iudicium appello: quemnam loquendi modum credunt usitatio-rem & ipsis Apostolis fuisse notio-rem: an cum dicitur, *alterum esse alterum*, ad denotandum, *alterum significare alterum*? an cum idem dicitur, ad innuendum, *quid sit illud, quod sub altero lateat*, sub quo tamen quicquam ab illo diversum latere, ante hoc momentum nemo suspicatus est, neque suspicari potuit? aut cum dicitur, *alterum*, quod monstratur, *esse alterum*, ad denotandum, *alterum ex altero eo ipso momento & his ipsis verbis produci*? Nullum talis locutionis exemplum usitatum fuit in ullo Sacramento, quod ipsi Adversarii facile concedent. Sed extra Sacramentum habentne plura exempla, quam nos afferimus horum verborum nostro sensu acceptorum, habentne tot, habentne aliqua, non dico in S. Scriptura, sed in omnibus libris, qui hominum manibus teruntur? Videmus hinc, si verba Christi nostro sensu accipiuntur, & *rem ipsam & modum loquendi* Apostolis fuisse notissimum. *Rem ipsam*; nihil enim notius erat Judæis, quam ritus mysticam significationem habentes: notissimum quoque fuisse *modum loquendi*, pluribus evicimus. At si sensus adversariorum fuisset sensus Christi, dixisset ipsis *rem ante inauditam & incomprehensibilem*: simulque usus esset, *modo loquendi inusitato & insolito*: & quo nemo adversariorum uteretur, si cui sententiam suam de præsentia Christi in Sacramenta clarè vellet proponere.

S. 17. 2. Alterum, quod Adversa pars hic supponere debet, est: Apostolos iudicasse, *sensum contradictorium verborum*

Domini

Domini esse rejiciendum: alias cum existimarint ab initio, Christum de pane loqui, credere potuissent, Christum de ipsa panis substantia dicere, illam esse corpus suum, idque proprie, ac propterea non fuisset necesse, aliam notionem subijcere pronomini, hoc, de quo corpus Christi sine contradictione affirmari possit. Jam quæro iterum, num Apostoli nihil contradictionis animadverterint in sensu *σρωσιας* aut *μεθεσιας*? Crediderunt, unam eandemque rem non posse esse simul panem proprie dictum & corpus Christi; recte haecenus. Sed num putarunt, unam eandemque rem esse posse corpus Christi visibile, secum accumbens, edens & bibens; & simul rem invisibilem sub pane aut ejus specie latentem: unam eandemque rem esse, quæ panem in manu teneat, & quæ sub pane lateat: quæ porrigatur & quæ porrigat, quæ edatur & quæ edat: quæ sit in lecto, in ore suo simulque in ore aliorum: quæ in lecto habeat partes, & quæ sub pane habeat nullas; rem tanquam Deum adorandam, & rem tanquam cibum corporis ore comedendam. Dicat aliquis, has contradictiones esse tantum apparentes: at si panis substantia dicatur ipsum corpus Christi, hanc esse contradictionem veram. Ego vero hucusque perspicere non potui, quare Adversarii illam solam veram, has tantum apparentes contradictiones statuunt, nisi quia ipsis ita placet; cum non magis has conciliare possint, atque illam. Sed ponamus, homines admodum perspicaces diu multumque cogitando aliquam tandem differentiam inter illas detegere. Quis credat, Apostolos, homines rudes, plebejos, carnales rum temporis & sensuum plurimum tribuentes, ex tempore vidisse differentiam tam subtilem inter veram & apparentem contradictionem: & propterea sine cunctatione rejecisse sensum, quo panis substantia ipsa corporis Christi substantia dicitur: sensum autem *σρωσιας* aut *μεθεσιας* statim adoptasse: quia viderunt, illam solam contradictionem esse veram; in his autem, quanquam magna sit contradictionis species, revera tamen contradictionem nullam esse. Utrum facilius Apostolis fuit: tropum usitatissimum intelligere, an tam expedite inter veram contradictionem, & eam quæ tantam habent contradictionis speciem distinguere: id quod plurimum hodie molestia creat acutissimis Doctoribus?

§. 17. Apparet ex dictis, Adversarios, dum student verba Christi ita interpretari, ut dogma, quod in iis quærunt, sine tropo significant; reddere illa Apostolis non modo obscura, sed penitus incomprehensibilia: plane, ut ne quidem divinare potuerint, quid in iis significet prima vox, *Hoc*. Pluribus hæc persequi oportebat, quia omnis pene ars Adversariorum consistit, in extorquenda significatione tali ex nomine, *hoc*, quæ dogmati in verbis Domini quæsito quam maxime faveat. Possem monstrare, Patronos transsubstantiationis non minus sudare in verbo, *est*, commode explicando. Et sane hoc verbum non est omnium usitatissimum & aptissimum, sive ad hanc rem operandam, sive declarandam, & quidem cum est in fieri; neque multa exempla afferi poterunt, ubi quid proprie hoc esse dicatur, quod nondum est, sed post quædam verba, verbo *est* addita, demum esse incipit. Saltem nemo negabit, longe plura exempla inveniri, ubi *est* ponatur pro *significat*.

§. 18. Quod si vero quis experiri vult, num verba Christi, sint sive ad *μεθεσίας* sive *δυσθεσίας* significandam aptissima; jubet ab homine bonæ mentis, horum mysteriorum penitus ignaro, verba institutionis S. cœnæ attente iterum iterumq; legi: tum vero ab eo petat, ut exponat, quid de S. cœna, de pane, de vino, de corpore Christi & sanguine discipulis exhibito sentiat. Si hæc mysteria sua sponte in verbis Domini inveniet: fatebor, illa clare verbis Christi significari. Sin autem de iis ne quidem cogitabit, nisi aliis verbis ipsi declarentur: fatebitur adversa pars, verba ad id significandū non ita apta esse, ut vulgo ajunt. Inde colligent, ab Apostolis quoq; hominibus indoctis & plebejis, horum mysteriorum ante ignaris, ita non fuisse intellecta: idq; tanto minus, quod neq; *verba Christi similia*, neq; *exempla aliorum Sacramentorum*, neq; *scopus Paschatis* aut *S. cœna*, neque *ulla eorum circumstantia* ipsos de hoc mirabili sensu commonefacere potuit: imo hæc omnia mentem eorum ab hac interpretatione longissime abduxerunt.

§. 19. At si fingamus, sensum hunc *Apostolis* in mentem venisse, visumque fuisse verbis & scopo Christi convenientissimum: *mysteria μεθεσίας* aut *δυσθεσίας*; *manducatio oralis corporis Christi*

Christi vivi ipsa per se tam sunt incredibilia, tam horrida, ut, qui hominem non exuit, non possit non aliquandiudubitare, si non de veritate verborum Christi, quod ipsum tamen Apostolis semel iterumque contigit, saltem de se ipso, an rite intellexerit, rite audiverit rem, quæ si vera est, iudicio intellectus pariter & sensuum est renunciandum. Hic vero Apostolorum nemo, ne Thomas quidem, vel ad momentum dubitat: non ex Magistro, non alius ex alio, ut alias fecerunt, quærunt, quid hoc est? Credunt ad unum omnes, se recte audivisse, recte intellexisse: imo ne quidem ullum admirationis signum edunt; quasi corpus Christi vivum contineri possit sub pane, aut transsubstantiari ex pane, non minus facile, ac pane significari. Sed neque in Apostolorum scriptis ullum cernitur hujus admirationis vestigium: cumq; admirantur religionis mysteria eorumq; profunditatem; mysterium μεθεστίας aut δυσεστίας nusquam in illorum censum venit: unde Paulus, cum conjungit admiranda illa, quæ in magno illo pietatis mysterio simul concurrunt, altum filet de mirabili ista presentia corporis Christi in S. cœna. Magnum est mysterium, Deus conspicuus factus in carne, &c. sed addi merebatur, Deus latens sub pane, aut factus ex pane, manducatus ore. At neque hic neque alibi inter mysteria incomprehensibilia recenfetur, quod fit in S. cœna, neq; usquam Apostoli de ea loquuntur, tanquam de re creditu difficili. Hæc sunt, quæ sufficere possunt, ad veritatem clare ante oculos ponendam illi, qui non sponte cæcutire vult. Sed in nostra potestate non est, erroris suam adimere efficaciam: Dei nostri id opus est: faciet id, cum id nomini suo gloriosum judicabit. Ipsi sit laus, honor, & gloria in perpetuum. Amen.

COROLLARIA.

1. An Rationi humana iudicium Contradictionis in rebus fidei permittendum sit? Aff.
2. An aliquis sit usus testimonii sensuum in Mysteriis fidei; an sit penitus repudiandum? Aff. pr. N. post.
3. An Primigenia Lux fuerit, aut potuerit esse agi idens sine subjecto? Neg.
4. An quadam Proprietates Nature Divinae, ut: Omnipresencia, Omniscientia, Omnipotentia, Vis vivificandi, &c. Unionis Hypostaticæ vi in Humanam Christi Naturam transjusa, sive eidem formaliter communicata sint? Neg.
5. An Ascensio Christi facta sit propriè per motum Localem ex Locis inferioribus ad Cælum supremum Beatorum, ubi mansurus sit usque ad diem Iudicii;

Judicii: An verò metaphoricè per disparitionem? Aff pr. Neg. post.
 6. An Christi Corpus gloriosum post Resurrectionem sit capacius multiplicitate
 tia, quam antea? Neg.

Ad Præstantissimum Dn. RESPONDENTEM.

Wohlan! mein Liebster Freund von Pallas aufferzogen/
 Auf deren Brüsten du die Wissenschaft gefogen/
 Der du von Jugend auf der Tugend nachgetracht/
 Das Eitle dieser Welt großmütiglich veracht/
 Der du auff diesen Tag mit ungemeinen Gaaben/
 Die dich mit größtem Recht an diesen Orth erhaaben.
 Vor der Gelehrten Schaar jes öffentlich beweist/
 Was man schon lang geglaubt von deinem klugen Geist:
 Empfange jes den Lohn des Gleisses deiner Jugend/
 Empfange jes die Cron/die Früchte deiner Tugend/
 Den Ruhm der ewig bleibet/der immerdar besteht/
 Der fester als der Stahl/vor dem Demant vergeht.
 Was Dich Dein Freunde belangt/so werd ich allzeit tracten/
 Dein wohl-verdienten Ruhm nach Würden hoch zu achten/
 Bisß daß nach dieser Zeit / nach dieser Eitelkeit
 Der Höchste dich versetz dort in die Ewigkeit.

Dieses sehet auß schuldiger Freundschafts pflicht hinzu
 Joh. Georg Meyer, S.S. Theol. Stud.

| | |
|--|---|
| <p>Convenit & mihi nunc Monumentum FR A- TER Amoris Linqvire, Sisto, Tibi, quid ferat hora sequens Sed stolidum foret ex Altris prædicere vitam, Actiones, sortem, pro variante loco. Dum cavet (1) Astrologus perituris sidera Amicis, Dum sibi boletus non cavet ipse perit. Longè (2) alios Deus in fines nam condidit astra, Harriolos (3) prohibet, (4) Gloria danda Deo. Hæc igitur mittamq; Tuam nunc carmine sortem Ex signo pandam decipiente minus: Quodd placuit Genio, duplici Testemmata nasci, Cujus perpetud Nomen in Orbe manet Ob fructus nitidos clarum virtutis & Artis; De Te Quid Magni spondet utrumque mihi. Quodd Tibi Palladias volupe est sudare per Artes Jugiter, atque Dei gratia tulit opem,</p> | <p>Reddidit & promptum fari paratumque tueri Dogmata Viventis Codice scripta Dei; Nunc Tua cum voto <i>Sacra</i> Dissertatio cedit; Splendida sed dabitur <i>ΧΕΙΡΟΘΕΙΑ</i> brevi; Servies hinc Christo, cujusque fideliter Agnos Coelesti pasces Gramine; Tuque pius Nestoris ad seros sanus pervenies Annos. Ac Animam tandem lætus ad Astra feres. <i>Gratulor ergo Tibi tanto de Munere Divum,</i> Quod tibi largiri proposuere sibi. Ut Studium, Restat, pergas absolvere eodem, Cœpisti, Zelo, quo bene cuncta, modò, (Nam Mediis uti, cupiens attingere metam, Ⓞ Debet, Doctorum dicere Turba solet) Supplicibus votis venerari Numina tentes Noctibus atque die: Fiet, & Angur ero. <i>In fraterni Amoris Tesseram apponit</i></p> |
|--|---|

JOH. JACOBUS MERIAN, L. C. H. B.

(1.) Bilotus boletus extinguitur, teste Marullo. (2.) Gen 1. 14. 15. etc. (3.) Esai. 47. 13. (4.) Esai 48. 11
 (5.) Ritus, quo sacri Ministerii Candidati Deo consecrantur. (6.) Axioma Theologorum, Præde-
 stinatus ad finem, prædestinatus quoque ad media.

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de sacrificio Misae
3. Gaffius de S. Coena.
4. Werenndorf de S. Coena.
5. ~~Id.~~ de S. Coena.
6. ~~Id.~~ de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de Jure excludendi à S. Coena.
10. Lritius de Pelagianismo.
11. Holzfus de quatuor Novissimis.
12. Gerharde de Appellatione ad Supremum Iudicem.
13. Graun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzi disquisitio num muribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelstiae.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Lorius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werenndorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Laroxismo abs: Decreto.
22. Dithmar de Concubinato à Xto prohibito.

Wernsdorff de Polygamia.

Hulsius de turpitudine incestae

Clacofeni animadversiones.

Zudeus de poena damnatorum officienda.

Wolle de Interitu mundi.

Heltthemius de Justificatione.

Mieg de pariete intergerino.

Mosheim de tribus in terra testibz.

Heidenus de Mosi resuscitacoe.

Neubauer de Corpore Mosi.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Alfius de Evangelio.

monis de ratione

ollius de Theologia.

ampe de Inspiratione et


rimesiis de Canonibus Apostolorum.


ajus de unico S.P. principio.


Alfius de S.P.

gstu Disertacoe de fundamentis Revelacoeis

man de Divinitate Spiritus







(67.)

Verum innocentiam Calvini ingenue
ruit ipse Bellarminus lib. 2. de Christo
inquiens: *sed quanquam hac ita se habeant,*
ipsam excutio, & Calvini sententias diligen-
ter facile audeo pronunciare, illum in hoc er-
videm docet, Filium esse à se, respectu Essen-
Personæ, & videtur dicere velle, Personam
matrem, Essentiam non esse genitam, nec produ-
se ipsa, ita, ut, si à Persona Filii removeas
matrem, sola restet Essentia, quæ est à se ipsa.
productis Calvini verbis ex Instit. lib. 1.
p. 5. probat, licet, quoad modum loquen-
tum errasse judicet. Ibid. c. 5. p. m. 326.
Inquit; *Utinam semper sic erraret Calvi-*
Recognitione quidquam in contrarium
Bellarmini moderationem erga Calvini
probat Petavius Theol. Dogm. Tom. 2.
p. m. 618. Loquendi formulam simpli-
am, ut Sabellianæ hæresi affinem existi-
mus in Epist. ad Joh. Uyttenbog. quæ ex-
cæstant ac Erudit. Viror. Ep. 44. p. m. 58.
Bullus Defens. Fid. Nicænæ sect. 4. §. 7.
40.

§. XVII.

Trinitatis dogma probat Spiritus S. Perso-
nas. Spiritum S. esse personam divinam
inunitarii, qui Spiritum S. Dei *Virtutem,*
Amorem, Auram, Agitationem & Qualitatem
omniumque, *quatenus in Deo manet ut Spiritus*
incommensurans, Virtutem Dei Naturalem; quæ
concipienda, sit; *quatenus vero à Deo fide-*
que à Deo in homines manat, Virtutem

1 2

medi-